
HARVARD
COLLEGE
LIBRARY

DE

CIVITATE

VETERUM TARENTINORUM.

SCRIPSIT


RUDOLPHUS LORENTZ,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

LIPSIAE

APUD FRIDERICUM CHRISTIANUM GUILIELMUM VOGEL.

MDCCCXXXIII.


HARVARD COLLEGE
SEP 21 1888
LIBRARY

De rebus publicis Graecorum post ea, quae a viris doctissimis, ingeniosissimis sunt exposita, singularis civitatis quam leges tam vitae instituta omnia accuratius perscrutari, minime supervacaneum esse existimantes Tarentinorum veterum rem publicam velut exemplum proposuimus, partim ut quam recte ab illis viris, qui in universum magis disputarunt, latae sint sententiae, eluceat, partim ut nullum probetur tam parum errori obnoxium instituti judicium posse, quin idem in singularum rerum pervestigatione hic illic mutandum, aut quidquam ab eo recidendum sit. Duplici tantummodo disquirendi genere et singula et universa indagando caute tutoque ad veritatem licet accedere; itaque ne operam spernas a nobis in disquisitione de civitate Tarentina positam. Quibus in studiis nostris si plura complexi sumus, quam quae vulgo recipi solent in libellos de veterum rebus publicis conscriptos, venia a lectore nobis expetenda videtur, quem ejusmodi expositionibus remoraturi simus; persuasum tamen habemus, neque illas, de quibus egimus, antiquitatis studiorum partes magis quam ullas negligendas esse iis, qui ut rectum sibi comparent judicium de populorum antiquorum vita atque indole adnituntur. Atque ut alias hoc loco multas reticeamus utilitates ex rerum oeconomicarum (quarum nomine doctrinam de comparando victu et faciendo quaestu comprehendimus) pervestigatione redundantes, id solum observatum velimus et expensum, quantum ad ipsas civitates conformandas et excolendas ea valuerit ratio, qua cives quae ad victum cultumque sunt necessaria sibi paraverint. Quod quum nostrorum temporum viri antiquitatis cognitione praestantissimi Boeckhius, Müllerus, alii probe intellexisse videantur, nec nos poeniteat operae et laboris insumti congerendis reliquiis e tot scriptorum ruina servatis, veteris Tarenti olim omni humanae industriae laude conspicui res rusticas, opificia, mercaturam illustrantibus. Quae sequitur expositionem de istis rebus conscriptam sectio de moribus, si minus ad ipsa reipublicae instituta pertineat, eam jure abesse posse ex gentis cujusquam historia accuratius elaborata, nemo, opinor, affirmaverit. Postremo doctrinam de foederibus et re militari ad finem opusculi sectione quarta absolutam propterea a reliquis rei publicae institutis segregavimus, ne nimis multa inter se commiscendo diversarum aetatum propriam vim ac naturam quasi dilueremus. Quod si libelli ad celebrandam memoriam anniversariam inauguratae ante hos CCXC annos scholae provincialis Portensis justos fines excedere licuisset, libenter novas sectiones tres de rebus sacris deque artium et litterarum cultu apud veteres Tarentinos addituri fuissemus. Haec, si fata sinunt, speramus mox alio loco a nobis dilucidatum iri.

Sectio I.

Oeconomia civitatis Tarentinae.

Caput I.

De re rustica.

Quoniam terra hominum nutrix est, ad parandum victum ex illa proventum quasi eliciens, deinde opificiis ac mercaturae materiem subministrans simplicissima hominibus res rustica habetur. Cujus laude quum veterum gentium non paucae floruerint, insigni etiam floruisse antiqui Tarenti incolas, haud levem tamen moveret mirationem, si ipsorum ii Doriensium ad oeconomicas res parum intentorum (Müller Doriens. tom. II. p. 189. sq.) coloni essent

existimandi; verum alio a nobis olim loco[1]), Lacedaemoniis potius περιοίκοις quam Spartanorum proprie sic dicto populo Tarentinam coloniam vindicandam esse, observatum est. Assiduam illi περίοικοι cum rebus rusticis tum aliis opificiis navabant operam (Müller. I. c. p. 27 sq.), florebatque Laconibus agrorum cultura haud modice (ibid. tom. I. p. 69 sq.), nec rari laudatores hominis Appuli, qui Tarento vicinus erat, arando impigri. Horat. Od. III. 16, 26. Accedit praeterea, quod felicissima Tarentum deductis Laconum colonis obtigerat ea, quae incolenda esset, terra, Horatio poëtae nunquam satis laudata. Schol. ad Horat. epist. I. 16, 11; quas enim ad agri eligendi ac bene colendi rationem Palladius requirit, rerum rusticarum scriptor (lib. I. cap. 2.), aëris et aquae salubritatem, terrae foecunditatem et civium industriam, eae non deerant res novis colonis, nihil igitur mirum, ad summum florem rei rusticae evectam esse civitatem Tarentinam. At singulas consideremus, quae vulgo sic distingui solent, rei rusticae partes: agriculturam, pecuariam rem, piscatum et metalla.

1) Agrorum cultura.

Omnino feracem quovis fructuum genere prae vicinis regionibus fuisse agrum Tarentinum abunde docent poëtarum laudes creberrimae. Ipsa quidem Apulia ob ventos adeo erat arida[2]) — torrebat enim agros Atabulus[3]) Horat. sat. I. 5, 78. Plin. nat. hist. XVII. 37, 8. —, ut Plinius (XXXI. 10.) in Messapiis omnia fusca nasci traderet cf. Micali Ital. tom. I. p. 213, et Paulus Diaconus (hist. Langob. II. 21.) Apuliam nominatam crederet a perditione (ἀπολλύναι), quod citius ibi solis fervoribus terrae viventia perderentur. Cui convenit Apuliae ariditati id, quod de agris prope Tarentum monuit Strabo geographus (VI. p. 281. Cas. 292. Tzsch.): *ἡ δὲ ἑξῆς τῶν Ἰαπυγίων χώρα παραδόξως ἐστὶν ἀστεία ἐπιπολῆς γὰρ φαινομένη τραχεῖα, εὑρίσκεται βαθύγειος σχιζομένη*, natura quippe vulcania. cf. Bossi hist. Ital. p. 209. vers. Germ. Rem mari effectam esse merito dixeris apud Tarentum in agros longius procedente[4]) atque isto modo ventorum incommoda sanante. Quum terram in profundo maris recessus irrigarent, adaugebat foecunditatem[5]) aestus aëris — aestuosa enim universa erat Calabria Horat. Od. I. 31, 5. —, ut Tarentinus ager uberrimus maximeque fertilis factus sit; inde Tarentum saturum vocavit Virgilius Georg. II. 197. et *Τάραντα πίονα δῆμον* vetus oraculum apud Strab. VI. p. 279. Diod. exc. Vatic. pag. 12. Dind. cf. Joh. Juven. de antiq. Tarenti IV. 1.

De *frumento* quidem Tarentino, quod frugum genus nostratibus in re rustica summum est, nihil ab auctoribus proditum invenimus, caret enim eo inferior Italia praeter triticum Plin. XVIII. 12, 1., quod in Apulia proveniebat optime Varro de re rust. I. 2., neque erat illarum regionum incolis in alimentis omnium maxime necessariis. Conspiciuntur tamen in nummis Tarentinis hordei spicae Rasche lexic. num. tom. V. p. 1. pag. 529. 534. Mionnet

---

[1]) In libello ante hos sex annos edito, qui inscribitur: de origine veterum Tarentinorum. Berolini 1827. 8.
[2]) Siticulosa inde dicitur Apulia. Horat. epod. III. 17. Od. III. 30, 11. Ovid. Metam. XIV. 510. cf. Cic. ad Attic. VIII. 3.; ut πολυδίψιον Ἄργος apud Homerum Il. IV. 171. cf. Strab. VIII. p. 370.
[3]) Recte is Apulus esse videtur interpretibus ad Horat. l. c. Idem vocatur ventus Ἰάπυξ, qui per Iapygiam flat, (quemadmodum et Thracius et Locrus a terris dicti sunt. Eustath. ad Dionys. Perieg. 380.) ad orientem ducens, quem Varro Argesten dixit. Serv. ad Virg. Aen. VIII. 710. cf. Gell. II. 22. Salmas. ad Solin. plur. loc. [4]) Sola aquarum deductione apud Sybaritas tanta effecta est fertilitas, ut centies sementem ager redderet. Diod. XII. 9. Athen. XII. p. 519. f. Varro de re rust. I. 44. [5]) Quam spectare videtur cornu copiae in nummis Tarentinis, aut solum Mionnet. tom. I. p. 149. Suppl. tom. I. p. 290, aut prope Tarantem urbis conditorem. Mionnet. tom. I. p. 140. 142. 146. 149. Suppl. tom. I. p. 282. 85. 89. cf. Eckhel Doctr. num. tom. I. p. 149.

descr. num. Suppl. tom. I. p. 278., quales eas in Metapontino nummo perantiquo expressas esse constat. cf. Eckhel num. vett. anecd. pag. 38. tab. III. nr. 15.

Contra Tarentini agri indoles, quemadmodum adumbrata est, apprime ea favebat *vitium culturae*, quibus et abundabat ager et alios in Italia facile superabat. Plin. XIV. 2. Tarentinas enim uvas vitium genera enumerans praedulces dixit Plinius XIV. 4, 7., qui scriptor alio loco (XIV. 8, 6.) recenset vina Tarentina inter generosa cum Siverinis[6]) et Consentiae genitis et Tempsae ac Babiae Lucanisque, antecedentibus tamen Thurinis et Lagarinis. cf. Steph. Byz. s. v. *Λαγαρία*. Quippe enim vinum Tarentinum et quae in illo tractu nascebantur lenia erant omnia, capiti non infesta, non vehementia (*οὐ πλῆξιν, οὐ τόνον ἔχοντες*), suavia, ventriculo amica, ut retulit Athenaeus I. p. 27. c., scriptor de vinis Italicis cum primis consulendus. Clarum omnino fuit Peucetiae vinum, quod dicebant *Ἀμιγαῖον*. Hesych. s. v. ibiq. intpp. Quin Tarentinum vinum[7]) Falerno haud deterius fuisse in Italia omnium maxime celebrato (Plin. XXIII. 20. Varro de re rust. I. 2. Dioscorid. V. 10.), Venusinus poëta est professus. Ferebat illud amicus Aulon, fertili Baccho minimum Falernis invidens uvis Horat. Od. II. 6, 19. et felix vitibus Martial. XIII. 125.; sed laudat etiam in Silvis (II. 2, 11.) Statius blanda vineta Galaesi prope Tarentum fluminis. Polyb. VIII. 35, 8. — Vinum a Tarentinis olim servatum esse in cellis vinariis, quales ad mare habebant Sybaritae Athen. XII. p. 430. Schw. Heyn. opusc. tom. II. p. 130., etiamnunc vestigia quaedam videntur commonstrare. Swinburn. iter Neap. tom. I. p. 309. vers. Germ., inprimis locus is, qui hodie ab incolis vocatur *diulo* cf. Carducci ad Aquin. delic. Tarent. p. 79. sq., sed alii has cavernas pro Neptuni templis habent, alii pro nymphaeis, in quibus maritimo frigore Tarentini cives fruerentur. Riedesel iter per Magn. Graec. p. 208. De omni ista vini conservandi ratione quum hic amplius exponendi locus non sit, lectorem ablegamus ad Florentini descriptionem cellae vinariae Geopon. VI. 2. p. 428 sq. Nicl.[8]), de ea autem ratione, qua hodie Tarentini vinum parare sibi solent videndum est iter Ulyssis de Salis-Marschlins in provinc. Neap. p. 176. sq.

Non cedebat vino *oleum* Tarentinum, cui quantum curae cives impenderint, vel ex Heracleensibus tabulis licet colligere. cf. Carducci p. 82. Inclita prae ceteris Salentina oliva fuit, quam Cato (de re rust. 6.) inseri jubet calido et pingui solo, quale est Iapygiae Plin. XV. 6. Macrob. saturn. II. 16., sed laudat ipsam oleam Tarentinam Theophrastus hist. plant. IV. 14, 9., uti Thurinam celebravit Amphis apud Athen. I. p. 30. b., atque Horatius Tarentinae regionis captus deliciis oleum Tarentinum non cedere contendit Venafrano. Od. II. 6, 15. At Venafrum Campaniae oppidum multi sunt, qui testentur auctores (Plin. XV. 3. Colum. V. 8. Varro de re rust. I. 2. Horat. sat. II. 4, 69. Martial. XIII. 101.) olivetis simul fuisse clarissimum et vino Athen. I. p. 27. c.; quum enim in oleo principatum toto orbe olim Italia facile obtineret Plin. l. c., nusquam tamen generosior erat oleae liquor quam in Campania. Plin. III. 9. Iam oleum Tarentinum vide optimo exaequatum! Verumtamen ut suam quaeque pestem habet regio, sic circa Tarentum Theophrastus l. c. dicit, fructum quidem uberem semper promittere oleas, contra sub ipsum floris tempus partem magnam perire; id quod fusius explicat idem scriptor de caus. plant. V. 10, 3., apud Tarentum enim olearum

6) Sic legendum esse pro Servitianis vidit Cluverus Ital. antiq. p. 1315., ager enim Siverinus (Steph. Byz. *Σιβερήνη*) et olim optimum vinum praebuit et nunc praebet. 7) Ad vitium culturam pertinet vitis folium in nummis Mionnet. tom I. p. 145. sq. Suppl. tom. I. p. 280., et uva aut sola Mionnet. tom. I. p. 140. 145. sq. Suppl. l. c., aut prope Tarantem. Mionnet. l. c. Suppl. tom. I. p. 283. 290. 8) Ubi notas velim conferas. Adde Boettiger Amalth. tom. III. p. 178. sq. Creuzer antiq. Rom. p. 352.

flores aut rubiginem concipere aëre nullis ventis commoto aut aurae marinae nebulosae et crassae putredine[9]) corrumpi, qua de caussa arbores quamquam maximas et pulcherrimas istius agri fructum tamen exiguum reddere. Ad hanc usque diem oleis plena est regio Tarentina Salis iter p. 70. 147., et ipsi incolae earum colendarum sunt peritissimi ibid. p. 146. 149., verum eodem quoque laborant fructus morbo rubiginis. ibid. p. 156. cf. Carducci p. 77.

Multae praeter vinum et oleum Tarentini agri erant fruges. *Ficus* Tarenti tantum nascebantur praedulces, quas onas[10]) vocatas esse testatur Plinius XV. 19., procul dubio e Laconia petitae Theophr. hist. plant. II. 7, 1.; quum enim caprificus vulgaris esset in Italia, ut liquet ex oraculo apud Dionys. Halic. antiq. XVII. 22. et Diod. exc. Vatic. p. 12. Dind., plurima etiam ficorum genera, Chias, Chalcidicas, Lydias, Africanas, in Italiam perlata esse observavit Varro de re rust. I. 41.[11]), ubi proveniebant optime, quippe fructum non amittentes, antequam percoxerint. Theophr. hist. plant. II. 8, 1. Nostra quidem aetate ficus Neapolitanae recensentur inter optimas, sed Tarentinae quoque in egregiis sunt. Salis p. 104.

Laudandae deinde *nuces* Tarentinae, quarum duo fuisse genera retulit Plinius XV. 24., fragili putamine ac duro, quae sunt et amplissimae et minime rotundae. Prius ita molle erat genus, ut nux vix attrectata frangeretur, quare Favorinus etymologiae studiosus Terentinam potius quam Tarentinam eam vocandam esse censuit. Macrob. saturn. II. 14. Varro fragm. p. 253. Bip. cf. lib. de orig. Tarent. pag. 8. A genuina natura degenerando ita molles videntur factae esse nuces, nam, inquit Palladius II. 15., si Tarentinam facere volueris, solam nucis carnem lana propter formicas obvolutam in seminario debebis obruere. cf. Geopon X. 66. Aliam, qua nucem Graecam et avellanam[12]) Tarentinam facere possis, rationem exposuit Columella V. 10.[13]), unde nucis genus primum Tarenti natum in alias deinde regiones hominum arte esse propagatum, ita ut id, quod ab urbe datum erat nomen, genus quidem nucum sed non certum locum indicaret, haud ambigue eluceat.

Castaneae etiam nucum nomine solent appellari, quamquam accommodatiores glandium generi, ut censet Plinius XV. 25. Excellebat his quoque ager Tarentinus, nam faciles erant castaneae Tarentinae nec operosae cibo, figura planae sed minus tractabiles rotundiore castanea, quae vocatur balanitis; laudatissimis praeter Tarentum patria in Campania habebatur Neapolis. Plin. l. c. cf. Martial. V. 78, 14. sq. Avellanas Tarentinas fuisse *Διὸς βαλάνους* judicavit Salmasius ad Solin. p. 602. d.; idcirco in castanearum genus retulit. cf. intpp. ad Geopon. II. 8, 4.

Animum adverte deinde ad *pira* Tarentina „piris enim vesci Calaber jubet hospes" Horat. epist. I. 7, 14., Tarentina in Graecis[14]) recenset Plinius XV. 16, serum genus ibid. 18, 3. Macrob. saturn. II. 15, sed inter generosissima positum Columellae V. 10, ex quo pira ista memoravit Pomponius Sabinus ad Virg. Georg. II. 87, laudata quoque apud Catonem

---

9) τῇ ὀσμῇ, ut Scaliger interpretatur; Schneiderus legi jubet ἅλμῃ, qui salinis particulis imbutum ventum a mari afflantem acrimonia teneris floribus potuisse nocere affirmat. Quod ut verum sit, non video, cur locus, male explicatus a Gaza, emendandus sit. 10) Sic restituit Harduinus pro: omas; est fortassis ὠνίας, venales, pretiosas. cf. Juven. de antiq. Tarent. IV. 1. 11) Recensent alia Columella V. 10. et Macrobius saturn. II. 16. 12) De nucum generibus adi Plinium XV. 24, nuces juglandes (Wälsche Nüsse), avellanas (Haselnüsse) et amygdalas (Mandeln) distinguentem; nucem Graecam quidam in juglandium genere servant. De avellanis vide Schneiderum ad Caton. de re rust. VIII. p. 41. sq. Salisii iter p. 16. sq. 13) Abscondita nimirum nuce sine putamine in ferulae medullam. cf. de arbor. cap. 22. 14) Pira graecula memoravit Cloatius apud Macrob. sat. II. 15. sic dicta a Magna Graecia, quo sensu etiam nuces graecas accepimus.

de re rust. 7. Itidem pira Tarentina intelligenda esse apud Galenum comp. medic. sec. loca IX. 5, ubi leguntur ἄπιοι Τερεντιανοί, censuit Cornarius cf. Schneider ad Colum. V. 10, 8.; ex piris denique Tarentinis viridibus medicamentum parari adnotavit Celsus IV. 19.

Cujusvis ferme arborum generis totius Iapygiae ager fuit feracissimus Strab. VI. p. 292. Tzsch., nec reticuit silvarum Tarentinarum amoenitatem magnus urbis laudator Horatius epist. I. 16, 11. „*dicas adductum propius frondere Tarentum*“ cf. Carducci p. 85. Attigit Galaesi hortos Servius ad Virg. Georg. IV. 126. cf. schol. Horat. Od. II. 6, 10, quod flumen umbrosum pinetis dixit Propertius III. 30, 69, Lachm., ipsisque hortis constitutos fuisse custodes, ῥαδανώρους, conjicias ex Hesychio s. v. ibiq. intpp. Quaedam laudantur insigniora hortorum Tarentinorum ornamenta, sic Cato de re rust. 151. *cupressi* Tarentinae mentionem injecit, de qua serenda ex Manio Percennio praeceptum attulit; hanc Plinius XVI. 60. conjectura haud spernenda nomen inde censet obtinuisse, quod primum venerit Tarentum, nimirum ex Creta insula, cupressi patria Plin. l. c. XXIV, 61. Cic. de legg. I. 5, ubi arbor ea et frequentissima et magnificentissima proveniebat, profecta. Theophr. hist. plant. III. 1, 6. 2, 5. IV. 5, 2. II. 2, 2. Vide Boeckhium ad fragm. Pind. p. 631. et de fabulosa cupressi origine intpp. ad Geopon. XI. 4.

Myrti genus Tarentinum folio minuto laudavit Plinius XV., 37, quam myrtum Romae satam esse propagine Tarentina, in Campania autem baccis prodidit idem auctor XVII., 11. Exstat de myrti quoque origine commentum apud Geopon. XI., 6, ubi notam adeas.

Addimus *porrum* Tarentinum, cujus mentionem fecit Columella VIII., 11 de usu ejus exponens in alendis pullis pavoninis. De eo epigramma legitur apud Martial. XIII., 18:

porri sectivi
fila Tarentini graviter redolentia porri
edisti quoties, oscula clausa dato.

Fabas denique optime provenisse in agro Tarentino perspicitur e Theophrasto de caus. plant. IV., 16, 2, quum enim faba celerrime vermiculetur, integerrima manet apud Apolloniam et Tarentum.

Quibus de agri Tarentini insigni fertilitate expositis si addideris poëticam ejus descriptionem apud Virg. Georg. IV., 125—148 hoc loco non repetendam, ubi is Corycium senem inducit loquentem, quantum operae agrorum suorum culturae veteres Tarentini impenderint adeo perspectum habebis, ut *rem agrariam* dicas veram ab illis artem, qualem judicavit eam ipse Varro de re rust. I., 3, existimatam esse. Tradit idem scriptor I., 14, saepimenta habuisse agrum Tarentinum ex terra et lapillis compositis in formis, ut in Hispania; ac scribit Frontinus de colon. pag. 111. Goes., habere muros provinciam Calabriam, macerias, congessiones et terminos Tiburtinos, quae etsi ad Romana tempora pertinent, initia tamen priori aetate habuerunt. Neque a probabilitate omnino alienum est juris agrarii [15]) fuisse Tarentinos peritissimos, quam poterant disciplinam ab Etruscis aut aliis Italiae populis sibi arcessere, (cf. Niebuhr hist. Rom. tom. I. pag. 166 sq. edit II.) primis coloniae temporibus, quibus nondum in universa Italia formidabilem suam potestatem Romani exercebant. Quin immo agriculturae doctrinam exposuit ipsius Tarenti civis *Archytas* Pythagoreus philosophus [16]), terrae numeroque carentis arenae mensor Horat. Od. I., 28, 1 mathematicis haud dubie usus praeceptis, a Varrone de re rust. I. 1, et a Columella I., 1 laudatus inter eos,

[15]) De quo quam docte et acute exposuerit Niebuhrius hist. Rom. tom. II. p. 349. sq. ed. I., nemo non agnovit.
[16]) Cujus nuper fragmenta philosophica dissertatione illustravit Gustavus Hartenstein. Lips. 1833. 8.

qui graece scripserunt de re rustica. Cujus scriptoris opera quin a Plinio in conscribenda naturali historia sint adhibita, nullus dubitarem, si auctorum index initio operis positus, ubi Archytas inter eos recensetur, quos ante oculos Plinius libro VIII., X., XIV., XV., XVII., XVIII. habuerit, ab ipso Plinio profectus esset. cf. Fabricii bibl. latin. tom. II, p. 281. ed. Ernesti. Ceterum Archytam illum, qui de agris colendis egerit, Diogenes Laertius VIII., 82, (vide ibi Menag.) a philosopho Pythagoreo diversum esse perverse contendit. cf. Navarro tentam. de Archyta. p. 18. Est quoque scriptor quidam *Tarentinus* nomine inter geoponicos, qui aut Heraclides medicus Tarentinus est, aut nomen proprium existimandum. Suid. s. v. Needham proleg. ad Geop. p. LXXII. sq. Nicl. Verum egregio quodam modo Tarentinorum in re agraria positum studium ipsis comprobatur tabulis Heracleensibus (Carducci pag. 80. sq. Micali Italia tom. III. p. 283.) dimensionem continentibus agrorum Bacchi et Minervae; ibi enim lecturis obviam fiunt ὁ γαμέτρας p. 250. Mazoch., atque agrorum finitores quinque, ὁρισταί, qui in comitiis videntur creati esse. ibid. p. 147. sq. 205. 242. 250. cf. Heyn. opusc. tom. II. p. 245. sq. Quam doctrinam Heracleenses non poterant non debere Tarentinae metropoli.

2) Res pecuaria.

Agriculturam proxime sequitur eique arctissime conjuncta pecuaria res. [17]) Pascuis aptum universum dixit Iapygiae agrum Strabo (VI. p. 292. Tzsch.), qui et Bruttium laudat, atque totam Apuliam fuisse habitatam a pastoribus vel ex Cicerone unicuique notum (in Catil. III, 6.). cf. Bossi hist. Ital. p. 210. Statius ille poeta, quem propter vineta Galaesi flumen laudantem supra excitavimus, pecuaria quoque culta Galaesi celebrat Silv. III., 3, 93, nec minus Apulam herbam, qua saturat Calabris culta Galaesus aquis Martialis VIII., 28, 4. Ita dulcis enim fluvius iste erat ovibus Horat. Od. II., 6, 10, ut in proverbium agnae Galaesi molliores abiisse videantur. Martial. V., 37, 2 cf. XII., 63, 3; Aulonem quoque nobilem lana, pretiosa vellera dantem laudibus cumulat idem Martialis XIII., 125. Nihil igitur aliud fuit nisi pasturae et copia et dulcedo, quae iis circa Tarentum locis, ubi longius in terram maris sinus recedit, molliores ovibus lanas paravit. schol. Horat. l. c. Sed alia etiam pecora, ut sunt capellae, in saltibus Tarenti maximis auctibus crescebant Virg. Georg. II., 197. ibiq. Pompon. Sabin. cf. Carducci p. 65, nec defuisse porcorum greges colligatur ex Hesychio s. v. ἀχάλουρις, siquidem recte ibi emendarunt interpretes. Boum multitudinem commonstrat solum Italiae nomen, quod ab initio inferiorem modo totius peninsulae partem complectebatur. Varro ap. Gell. XI., 1 (fragm. p. 212 Bip.) cf. Wachsmuth hist. Rom. p. 72; quo tamen referenda sit bovis facies in nummo Tarentino Rasche tom. V. p. 1. pag. 583. Mionnet Suppl. tom. I. p. 284., id disceptandum aliis relinquimus. De vaccis Tarentinis liceat provocare ad Angeli Politiani versum „Plena Tarentinis succrescunt ubera vaccis.“ Carmina illustr. poët. Ital. tom. VII. Florent. 1720. p. 357.

Sed *ovilli greges* Tarentinorum prae ceteris summopere laudantur. Album ii colorem leni videntur debuisse Galaesi aquarum temperaturae, unde flumen ipsum album dicitur poëtae Martial. XII., 63, 3. cf. IV., 28, 3; recte enim observavit Plinius XXXI., 9. II., 106., pendere ab aqua ovium colorem, ut multa negantes exempla docere possunt. cf. Claudian de VI. cons. Honor. 507. Carducci p. 68. Verum magis etiam felix aëris temperies Horat. Od. II., 6,

---

17) Quare Terentius Varro vir prudentissimus quum primo rei rusticae libro egisset de agricultura, altero exposuit rem pecuariam.

17. Senec. de tranq. anim. 2, ipsius terrae foecunditas, pecoris denique alendi ratio favit gregibus. Melior omnino quam in aliis terris ovium proventus in Calabria schol. Horat. epist. II., 2, 178, quae quum esset valde aestuosa, hiberna in ea greges habere solebant tutissima; contra ante Sirii fervidi ortum „*Calabri populatoris arvi*“ Val. Flacc. I., 683, sub mensem Julium in temperatiora loca Lucaniam vel Samnium [1]) versus abacti sunt. Horat. epod. I., 27. Varro de re rust. II., 1, id quod serioribus quoque temporibus interdum fiebat. Salis p. 184. sq. Atque haec quidem aëri, aliud ovilli greges agrorum indoli debebant nonnihil salis continentium, nam ubi sal bonum, felix ibi ovium proventus cf. Falconer ad Strab. VI. p. 401, quam optime sententiam magna Asiae deserta probare videantur, sale tincta, ingentes eximiosque ovium greges alentia. Facile inde explicatur, ob quam rem Tarentinus ager nullo aeque pecore atque ovibus abundarit, haud exili civibus commodo, etenim ovile pecus quamvis mollissimum sit, valetudinis est tutissimae, minimeque pestilentia laborat Colum. VII., 2, ita ut alentibus haud adeo magnae curae sit. Nihilominus Tarenti cives, mirum quantum, gregibus suis navabant operam verbis deinceps illustrandam.

Dixit *pellitas* Horatius Od. II., 6, 10. Galaesi oves, quoniam, quod vetus scholiastes retulit, pellibus Tarentinae oves tegebantur, unde Cato pellitam ovem appellavit Tarentinam apud Festum s. v. pascales oves (fragm. p. 81. Lion.) Duo enim distingui solent ovium genera tectum, quod est pellitum, et colonicum Plin. XXVI., 62, mollius illud, hoc in pascuis delicatius, quippe quum tectum rubis vescatur Plin. VIII., 72, atque eadem ferme sunt ovilli pecoris genera apud Columellam VII., 2: molle (tectum) et hirsutum (colonicum), quod pascale vel pascuale a Catone l. c. videtur nominari. Pellibus tegebantur oves propter lanae bonitatem, ut erant Tarentinae et Atticae [2]), ne lana inquinaretur, quominus vel infici recte posset vel lavari ac parari. Varro de re rust. II., 2, 18. ibiq. Schneider. Quapropter istius generis oves in liberos campos et omni surculo ruboque vacantes pastum agebantur, ne lana pretiosissima ab aëris injuria corrumperetur aut rubis spinisque esset obnoxia. Colum. VII., 4. Quandoque tamen accidit, ut molle pecus velamen amitteret, non parvo sumtu reparandum Colum. VII., 3, quippe ex ipsa Arabia petitum. Plin. VIII., 72. Omnino pecus illud Tarentinum ab aliis graecum appellatum, quia mollissimum erat [3]), nec aestus nec frigoris patiens, praeterea avidissimum assiduam requirebat hominum diligentiam ac curationem; raro id foris plerumque domi alebatur, minimus agnis vendundis in hac pecude nec ullus lactis [4]) reditus haberi poterat, submoveri enim nequibat agnus, praeterea ovis graeca saepe detegenda fuit et refrigeranda, saepius ejus lana diducenda vinoque et oleo insuccanda, nonnunquam etiam tota eluenda radice lanaria (vide Colum. XI., 2, 35. ibiq. Schneid. et Palladium XII., 13. idem de ovibus Asianis referentem), stabula vero frequenter everrenda Varro de rust. II., 2. et tempestates, quibus ovem tondere licet, diligenter considerandae. Haec atque alia praecepit Columella VII., 4. sq., quae, ut quantae curae Tarentinis ovile pecus fuerit, appareat, nolui omittere.

---

[1]) Urbs in Samnio Μαλόεις (Maleventum), ut videtur, ab ovium (μήλων) lana vocata est. Salmas. ad Solin p. 64. d. Micali tom. I. p. 187. [2]) Nec non Megarenses. Diog. Laert. VI. 2, 41. Alludit ad istum morem Clemens Alexandrinus paedag. II. 10.: etiamsi sub pellibus pili custodiantur, quorum nonnulli insano amore tenentur. — Lanae culturam reducto vetere usu nostris temporibus promovisse successu satis prospero sibi visus est Daubenton. cf. Mitscherlich. ad Horat. Od. l. c. [3]) Proptera Favorinus, ut nuces, sic oves Tarentinas rectius vocari censebat Terentinas. Macrob. saturn. II. 14. [4]) Sed lactis Tarentini mentionem fecisse videtur Varro apud Nonium s. v. putus (fragm. p. 327. Bip.)

Itaque ne mireris favente aëre, terra, hominum industria, permagni olim aestimatam lanam Tarentinam urbis civibus in lucri partibus fuisse; explices inde Calpurnii verba bucol. eclog. II., 69. (poët. latin. min. tom. II. p. 98. Wernsd.): totque Tarentinae praestant mihi vellera matres. Lanam prodidit Plinius VIII., 73. laudatissimam fuisse Apulam (Martial XIV., 155.) et quae in Italia graeci pecoris appellabatur, alibi Italica, tertium locum Milesias oves [5]) obtinere. Apulae breves villo nec nisi paenulis celebres; circa Tarentum Canusiumque summam nobilitatem habebant, in Asia vero eodem genere Laodiceae [6]). Alio loco idem Plinius XXIX., 9: laudatissima natione lana Galatica, Tarentina, Attica, Milesia, consentiente Columella VII., 2: generis eximii Milesias, Calabras, Apulasque nostri existimabant earumque optimas Tarentinas, nunc Gallicae pretiosiores habentur [7]). Proprium quendam splendorem fuisse lanae Tarentinae, quum mollior fuerit circa Garganum promontorium, auctor est Strabo VI. p. 303. Tzsch.; sed Tarentinum pecus cum alio saepe miscebatur, ut genuinam indolem paullatim immutaret. Sic instituerat Columellae patruus, illustris agricola. Colum. VII., 2. Albi coloris fuit lana Tarentina et Apula maximam partem, ut recte colligere nobis videmur ex epigrammate Martialis XIV., 155. et Plinio VII., 73, qui color quum sit optimus, tum utilissimus est, quod ex eo plurimi fiunt neque hic ex alio Colum. VII., 2; sed etiam pulli coloris oves habuit Tarentum. Plin. l. c. Carducci p. 66. sq. Haud pari modo florent qui hodie sunt Tarentinorum ovilli greges, paucae sunt albi coloris oves (pecore gentili appellatae) pleraeque pullae (moscie vel carfagne ab Italis vocatae); verum quoniam haec minus ad rem meam pertinent, eos qui de nostrae aetatis pecuaria re Tarentina copiosius exposuerint laudasse satis habeo. Juven. antiq. Tarent. IV., 1. Carducci p. 72. sq. Swinburn. iter Neap. tom. I. p. 280. sq. Salis p. 60. sq. Id modo addiderim, abiise ex metropoli in Heracleam coloniam rei pecuariae studium, quemadmodum luculentissime videtur colligi ex Parthenii narratione septima, ubi (in editione Passovii) Schneiderum adeas.

De equis alendis quum eo facturi simus verba loco, quo in re equestri collocatum Tarentinorum studium exponetur, jam pauca de *apiaria re* Tarenti olim, ut videtur, haud mediocriter florente proponimus. Etenim quum hodie eximium sit agri Tarentini mel cf. Swinburn. tom. I. p. 314. Salis p. 103, tum pristino fuit tempore, quippe quod Hymetto [8]) non decedere confirmat laudator Horatius Od. II., 6, 14, ac notae omnino sunt apes Calabrae. ibid. III., 16, 33. Varro autem humanarum rerum libro XI. apud Macrob. sat. II., 12. (fragm. p. 207. Bip.) mel Tarentinum recensuit inter optima ad victum, quae in Italia gignantur, sic locutus: ad victum optima fert ager Campanus frumentum, Cassinas oleum, Tusculanus ficum, mel

---

[5]) De Milesiis ovibus lanisque adi Tzetz. Chil. X. 329. v. 348. ibiq. Kiessl. Apollon. hist. commentit. 20. cum nota Meursii. Fischeri indic. ad Palaeph. s. v. Μίλητος. Clemens certe Alexandrinus paedag. II. 10. (tom. I. p. 327. Pott.) lanam Milesiam et Italam memorat ut pretiosissimas, parum concinente Italo doctissimo Bossi hist. Ital. tom. VI. p. 419. [6]) De ovibus Laodicenis Strabo XII. p. 578. [7]) Apula tamen lana ad usum Gallicana firmior erat. Varro de ling. lat. VIII. p. 136. Bip. Tarentinae lanae praestantiam spectat Tertulliani locus de pallio 3.: nec de ovibus dico — queis Tarentum vel Baetica cluet natura colorante. cf. ibi Salmas. p. 214. sq. Cum Heynio opusc. tom. II. p. 221. eodem refero fusum in manu Tarantis herois conspicuum in nummis. Rasche lexic. tom. V. p. 1. pag. 526. 529. 531. 532. 534. Mionnet. tom. I. p. 139. 141. etc. Suppl. tom. I. p. 276. sq. 282. sq. 288. 290.; qui fusus aut colus in manu figurae sedentis spectatur apud Mionnet. Suppl. p. 281., et corona laurea circumdatus ap. Mionnet. tom. I. p. 148. [8]) De melle Hymetti omnium praestantissimo v. Sil. Ital. XIV. 199. Colum X. 386. Tzetz. Chiliad. vv. ll. Barthelem. iter Anachars. tom. II. p. 109. vers. germ. — Apis in nummo Tarentino memorata apud Raschium tom. V. p. 1. pag. 513. neque alibi ad mellificium an pertineat, non dixerim.

Tarentinus; piscem Tiberis. Idem scriptor alio loco celebrasse Tarentinam ceram videtur, qualem apes Milesiae coëgerint ex omnibus floribus libantes, sine osse et nervis, sine pelle, sine pilis, puram, putam, proceram, candidam, teneram, formosam. cf. Non. s. v. putus p. 56. Jun. (Varro fragm. p. 327. Bip.).

Postremo subjungimus quaedam rei pecuariae cognata nec prorsus abhorrentia. Feris non minus quam mansuetis animalibus abundasse regionem Tarentinam merito dixeris, ipsosque cives in Messapios saltus, qui proximi essent Tarento, *venatum* haud raro exiisse; sic certe docet Polybii VIII., 26. sq. Livii XXV., 8. sq. aliorumque narratio suo loco consideranda. Contra quibusdam animalibus caruisse agrum Tarentinum certiores nos fecit Plinius X., 41., qui picum Martium illic esse negat de industria, quum tamen in aliis Italiae partibus multis illa avis fabulis caussae fuerit. cf. Creuzer Symbol. tom. II. p. 968. tom. IV. p. 428. sq. Sed unum prae ceteris istius regionis dignum est, quod memoretur animal *tarantula*, quae ab urbe nomen accepisse fertur. Magnae haec formae aranea morsu ita homines afficere dicitur, ut, quum primum torpescant, deinde vi musices quasi ad furorem abrepti (Rittershus. ad Porphyr. de vit. Pythag. 33.), donec robur deficiat, saltent. Res olim a multis perpensa [0]) jam eo redire videtur, ut magnam, quae de ea circumferuntur, narrationum partem fraudulentis hominibus deberi, jure arbitremur (cf. Blumenbachii judicium hist. nat. p. 420. ed. X.), nihilominus id concedendum, excitare aestum in Apulia praegravem febrem quandam, cui medendae prodesse possit sudorem excutiens saltatio. Mirum, veterum neminem, quamvis dixerint de periculoso quarundam aranearum morsu cf. Juven. antiq. Tarent. IV., 4, de tarantula quidquam prodidisse, ac ne Plinium quidem, qui naturalem suam historiam insigni diligentia congessit undecunque, mentionem rei injecisse. Est contra notissimus veterum Tarentinorum saltandi amor (vide infra) ad nostra fortassis tempora usque propagatus, qui fabulas de tarantula divulgatas bene confirmare potuit.

3.) Piscatus.

Majora etiam quam agri Tarentinis commoda praebuit maris foecunditas, quod, ut nunc [1]), sic olim omnis generis piscibus abundabat. Piscium enim innumeram copiam per fretum fluctus pellunt in sinum hodie mare parvum (mare piccolo) vocatum, quare, quum quiete ibi pascantur, ut nostra aetate cives Tarentini, neglecta laboriosa illa agrorum cultura, tam victum sufficientem quam lucrum sibi parent idoneum, assiduo singulis mensibus faciendo piscatu, potuit fieri. Juven. IV., 2. Ubbo Emmius de vet. Graec. in Gronov. thes. antiq. graec. tom. IV. p. 179. Riedesel p. 204.

Haud minorem quam nostri temporis homines opulentiam, immo, quod facile fuit, majorem veteres Tarenti incolae piscatu quaesivisse videntur; quem insigni ab iis diligentia factum esse satis probat Aristotelis locus Polit. IV., 4. Goettl., ubi piscatores Tarentinae plebis maximam partem complexos esse legimus; ac licet Sybaritarum exemplo colligere, quibus lege cautum erat, ne vectigalia penderent, qui anguilles vel piscarentur vel venderent Athen. XII. p. 437. Schw., magna apud Tarentinos concessa fuisse piscatorum ordini beneficia. At dicamus de singulis.

Sepia nonnunquam conspicitur in nummis Tarantis herois imaginem referentibus Heyn. opusc. tom. II. p. 220, quemadmodum in nummis Ceoram cf. Broendsted. itin. per Graec. fasc.

---

[0]) De tarantula plurima collegit Bueschingius in libello: Gedanken und Nachrichten von der Tarantel. Berlin 1772. 8. Ex iis qui descripserunt itinera laudo Swinburnium tom. I. p. 495. sq. et Riedeselium p. 251. sq.
[1]) Cf. piscium catalogum apud Swinburn. tom. I. p. 307.

I. p. 122 tab. XXVII., piscis neque hodie rarus in mari Tarentino. Salis p. 411.[2]). Reperitur in iisdem nummis *concha* vel limax Heyn. l. c., quibus circa Tarentum mare scatere optime docent concharum indices apud Swinburn. tom. I. p. 301. sq. et Salis. p. 349-412[3]). *Pectines* patulos, quibus molle se jactat Tarentum, quis est, qui ex Horatii satira II., 4, 34 (v. Heindorf.) non noverit? testa constantes duplici striata, ad concharum genus vix referendos[4]) praeeunte Plinio IX., 51. cf. Salis p. 393. sq.; laudatissimi erant Mytilenis, Tyndaride, Salonis, Altini, Antii, in insula Alexandriae in Aegypto. Plin. XXXII., 53. *Ostrea* Tarentina ea maxime maris parvi regione reperta, quae hodie vocatur: il piano, et longe optima (Salis p. 398. sq.) memorat Varro apud Gell. VII., 16. (fragm. p. 301. Bip.) inter genera edulium omnibus praestantia, a quibus diversos fuisse pectines quam Varronis tam Horatii locus laudatus comprobat, quoniam hic simul celebrat cum pectinibus Tarentinis ostrea Circejis nata, ille cum ostreis Chios pectunculos. Ceterum optima fuisse ostrea Circaea, Lucrina (Martial. V., 37, 3.) et Rutupina Juvenal IV., 140. ibiq. Rupert. Plin. IX., 79, maximeque ea abundasse in Ponto Plin. IX., 20, inter omnes constat. Aliud concharum Tarentinarum genus ἀχραδάμυλλος vocatum est, ut liquet ex Hesychio s. v.[5])

Paucissima haec de marinis circa Tarentum animalibus produntur. Jam, rejecto de murice pinnaque marina sermone in alterum disquisitionis caput, quo agitur de opificiis, superest, ut dicam de piscandi ratione, quae non dubito quin similiter instituta fuerit quam apud Velienses. vide Muenteri Veliam p. 43. sq. Etenim non abhorret a probabilitate, olim Tarentinos, quemadmodum Velienses thynnis capiendis impendisse operam, quod etiamnunc fieri in Calabria novimus bono auctore Joanne Juvene de antiq. Tar. III., 5. IV., 2. Dixit de piscium istorum captione in opere splendidissimo Houel (voyage pittoresque des isles de Sicile etc. Paris 1782. fol. vol. I. tab. XXVIII-XXX.), ad quem lectores ablegamus.

4.) Res metallica.

Metallicae rei *salinarum* curam quodammodo accensere, haud absonum est. Salem Tarentini de stagnis habebant, uti Phryges Plin. XXXI., 41; siccabatur enim in lacu Tarentino aestivis solibus, totumque stagnum in salem abibat, modicum alioquin, altitudine genua non excedens, quo eodem modo et in Sicilia sal parari solebat in lacu, qui Cocanicus vocatur, et alio juxta Gelam. Plin. l. c. cap. 39, atque etiamnunc prope Tarentum. Juven. IV., 1. Salis. p. 87. Sal Tarentinus omnium erat et suavissimus et candidissimus, ad medicinae usus ab antiquis maxime laudatus, oculis non minus utilis quam Phrygius. Plin. XXXI., 41. Dioscorid. V., 126. Ad pecuariam rem sustentandam et promovendam sale imprimis usi esse videntur Tarentini, multum enim salis veteres offerebant ovibus, imponentes per aestatem canalibus ligneis, ut quum a pastu redirent oves lamberent; ita etiam per hiemem faciebant, quo tempore et pabulo salem admiscebant. Praebito ita sale occurrere sibi videbantur pastores pecudum fastidio,

[2]) De sepia videas auctores laudatos a Schneidero ad Aelian. de nat. anim. I., 34, atque de ea inescanda Geopon. XX., 43. Piscis frequens in nummis Tarentinis. Mionnet tom. I. p. 147. Suppl. tom. I. p. 275. 290. 292. [3]) Magnum hodie ex conchis quaestum sibi parant Tarentini; captio describitur apud Salisium p. 401. sq. Concha in nummis saepius conspicitur. v. Eckhel D. N. tom. I. p. 148. sq. Mionnet tom I. p. 139. 142. 144. 146. [4]) Pectunculos habent nummi apud Mionnet tom. I. p. 139. sq. 147. sq. Suppl. tom. I. p. 280. 281. 292. [5]) Varia in nummis Tarentinis reperiuntur animalium marinorum genera, non ubique luculenter dignoscenda. Sic polypus Mionnet tom. I. p. 139, quem tenet Taras. ibid. p. 147. Suppl. p. 281; locusta sub pedibus Tarantis Rasche tom. V. p. 1. p. 515. Taras bucinum tenens ibid. p. 519, aut delphino insidens inter stellas duas marinas ibid; lacerta et cancer marinus in area nummi. ibid. cf. Mionnet. tom. I. p. 138. et de ipso cancri signo Creuzer Symbol. tom. II. p. 182.

quin ciborum gratia continuo usu exolesceret, atque ut eo cupidinem bibendi pascendique iis conciliarent. Beckmann ad Aristot. mirab. ausc. 150.

Plura ad metallicam rem pertinentia de Tarentinis apud auctores non sunt prodita, quamquam ex iis, quae capite sequente perscripturi sumus, populum ex aliis quoque rei metallicae partibus quaestum sibi parasse fit probabile, Lacedaemoniorum videlicet exemplum secutum. cf. Mülleri Doriens. tom. II. p. 28.

Caput II.

De opificiis.

Quum magnam agrorum marisque Tarentini omnis proventus abundantiam ea, quae enumerata sunt, probaverint, facile, opinor, expectes multa eaque insignia fuisse Tarentinorum opificia [1]) naturae ubertati originem debentia. Ac summum quidem inter ista locum videtur obtinuisse *lanificium*, quod scilicet ex lana illa nobilissima omnis generis vestimenta confecta esse, quamvis de hac re veterum auctorum nullus disertius loquatur, vero tamen proximum est. At minores ista lanificii ars Tarenti civibus fructus praebuisset, nisi, quod Horatii verba docere videntur (epist. II., 1, 107. „lana Tarentino violas imitata veneno.“ cf. Carducci p. 75. sq.), *purpura* vestium inficiendarum fuissent peritissimi, qua purpurae parandae arte, quum pretiosissima existimaretur Laconum purpura, in patria colonos Tarentinos imbutos esse credo. Pausan. III., 21, 6. Martial. XIV., 156. cf. Michael de Jorio hist. commerc. et navig. tom. IV. p. 267. sq. Müller Dor. tom. II. p. 26. Dabat purpuram murex [2]), neque hodie in mari Tarentino rarus; prope Tarentum exstare ajunt vestigia vetustarum officinarum, in quibus purpura olim lanae inficerentur [3]), ingentesque testarum acervos conspici rei indices minime obscuros. v. Fab. Columnae opusculum de purpura Kiliae 1675. 4. cap. I. p. 19. de Non iter Neap. tom. III. p. 72. (tom. V. p. 160. vers. germ.). De ipsa purpura ex murice parata luculenter actum est in notis Carduccii ad Aquin. p. 220. sq., unde sua hauserunt Swinburnius tom. I. p. 293. sq. et Salisius p. 368. sq. cf. Schneideri epimetr. ad Ulloam de America tom. II. p. 377. sq. vers. Diezianae. Baphia fuisse juxta Tarentum, in quibus tingeretur lana, jam confirmarunt auctores antiquiores Servius et Philargyrius ad Virg. Georg IV., 335. [4]), ipsamque purpuram Tarentinam memoraverat in operibus, qui sub Divi Augusti principatu obiit, Cornelius Nepos. Plin. IX., 63. (Nepot. fragm. cap. VIII. §. 6. tom. II. p. 361. Bardili). Is enim, me, inquit, juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat, nec multo post rubra Tarentina (cf. Hesych. Ταραντῖναι); huic successit dibapha Tyria [5]), quae in libras denariis mille non poterat emi. Dixeris igitur, Tarentinam purpuram rubram pretio fuisse mediam inter violaceam atque Tyriam, simulque apparet ex auctorum locis, plura apud Tarentinos nota et in usu fuisse purpurae genera, de quorum differentiis docte egerunt Salmasius ad Tertull. de pallio p. 185. sq. et Ferrarius de re vest. II., 7. (in Graev. thes. antiq. Rom. tom. VI. p. 707. sq.) Ceterum cum Cornelio consentit Horatii scho-

---

[1]) Juvat hoc loco adnotare officinam τὸ ἐργαστήριον Tarentinorum dialecto vocatam esse ἐργαλεῖον. Hesych. s. v. [2]) Conspectus in nummo Tarentino. Mionnet. Suppl. tom. I. p. 276. [3]) Vocatur hic locus ab incolis il monte testaceo. Salis p. 83. Alia, quae huc pertinent, monuit Riedeselius p. 206. sq. [4]) Sed „colorem saturum“ apud Virg. l. c. referri non posse ad Satyrium oppidum prope Tarentum, recte vidit Heynius interpres; est enim color intensior, minime dilutus. Salmas. ad Tertull. de pall. p. 179. sq. [5]) Ob purpuram male quidam Tarentum habuit pro colonia Phoenicum Tyro profectorum. de Non iter Neap. tom. III. p. 73. fol.

liasta sat. II., 4, 34, mollem purpuram Tarenti tinctam et in usu fuisse affirmans; copia ejus apud Tarentinos quae fuerit, e Flori loco I., 18. judicare licet, purpuram in Romanorum de Pyrrho Tarentinisque acto triumpho nominatim recensentis. Quapropter nescio an existimandum sit, idem olim Tarenti fuisse institutum, quo Athenaeo teste XII. p. 428. Schw. utebantur Sybaritae, ut qui marina purpura vestes tingerent aut purpuram importarent, immunes ii essent a tributis vectigalibusque.

At textura non minus quam colore praestantia fuisse Tarentina vestimenta auctorum plures confirmarunt, unde factum, ut quoddam vestium genus ab ipsa urbe nomen suum acceperit, cujusmodi vestimenta forma deminutiva appellabantur *Ταραντινίδια* Suid. s. v. Pollux VII., 76. IV., 104. Eustath ad Dionys. Perieg. 376. Alciphr. I., 36., ab aliis *Ταραντινά* (scil. *ἱμάτια*) Hesych. s. v. Favorin. s. v. aut *Ταραντιναί* (scilicet *βαφαί*). Etym. Magn. Favorin s. v. [6]). Consentiunt in eo grammatici laudati, quod tarantinidium vestem fuisse tenuem et pellucidam, *λεπτὸν καὶ διαφανὲς ἱμάτιον* (cf. Cubaeum Herc. Prodic. p. 26.) asseverant; sed eam non omnino fuisse purpuream, ut quidam putarunt [7]), contendit ex Nicostrato Suidas s. v. *Ταραντινίδιον,* quem exscripsisse videntur Favorinus, Photius in lexico, Etymologici magni auctor. Quae utut sunt, liquet tamen contextum esse illud vestimenti genus e filis admodum tenuibus, qualia e lanis vix parantur; ideo aliunde sumtam fuisse materiam oritur suspicio. Forsterus quidem in libro de bysso antiquorum p. 78. tarantinidiorum telam similem ei censere videtur, quam nos vocamus: Musselin (*ὀθόνιον λεπτόν.* cf. Olear. ad Philostr. vit. Apollon. I., 7.), verum sagacior Boettigerus ad de Recke itin. per Ital. tom. III. p. 77. pinna marina (die Steckmuschel) materiam tegmini suppeditatam esse auguratus est. Quae concha nobilis dicta Linnaeo, quum in mari scopulis sese annectat filis bombycinis, bene confici potuit ex istis tela eximie tenuis. Poli testacea utriusque Siciliae vol. II. p. 229. Micali Ital. tom. III. p. 218. Ipsum lanae sive bombycis genus dicebatur *τὸ πιννικὸν* vel *πίννινον ἔριον*, coloris albi sed paullo sordidi, ob quam rem pinnicae vestes purpura quidem plerumque, non tamen semper tingi solebant, testibus Suida aliisque [8]). Noverant praeter Tarentum ejusmodi tegmina aliae quoque terrae, quemadmodum Procopius de aed. III., 1. chamydem prodidit satraparum Armeniae purpuream fuisse, confectam ex lana, sed non ovina, verum ex mari collecta, pinnosque vulgo appellari animalia, in quibus ista lana enascatur, nam et de mari, ait Tertullianus (de pallio cap. 3. cf. ibi ~~Salmas. p. 218.~~ sq.), vellera, quae muscosae lanositatis lautiores conchae comant. Ac profecto nostra quoque aetate illius generis tegmina a civibus Tarentinis confici, quae pretii sunt permagni, compertum est. Swinburn. tom. I. p. 304. sq. Riedesel. p. 211. sq. de Non tom. III. p. 74. sq. fol. Itaque Tarentinas vestes arbitramur tenuitate cum Cois (quae ab aliis Ceae vocantur. Cub. Herc. Prod. p. 25. Rupert. ad Juvenal. VIII., 101. Broendsted iter fasc. I. p. 83. sq.)

---

[6]) Etym. Magn. habet *Ταραντεινά.* cf. ibi Sylburg. Alia ratione scribitur *Ταραντῖνα.* Ael. V. H. VII., 9. Polyaen. V., 5, 3. Phot. lex. ed. Pors., et *Ταραντῖναι.* Hesych. Phot. Contra *Ταράντιον* apud Aristaenet. I., 25. corrupte legitur, et *Ταραντίνιον* apud Athen. XIV., 622. b. emendandum esse olim perspexit Casaubonus ad XII., 522. d. [7]) Verbi caussa Hesychius s. v. *Ταραντῖναι: αἵματι βαφαί τινὲς δὲ τὰς πορφύρας. ἐδώδιμοι γὰρ καὶ ἐξ αὐτῶν τραχήλια.* Item Photius *Ταραντῖναι βαφαί: παρὰ Ἀχαιῶι. οἶμαι, τὰ ἁλουργὰ ἢ τὰ ἀπὸ τοῦ ὀστρέου.* [8]) De pinna marina consulas Apostol. XI., 11. Ael. de nat. anim. III., 29. ibiq. Schneider, ex recentioribus Salisium p. 406. sq. et prae ceteris epistolam archiepiscopi Tarentini Don Giuseppe Capece-Latro additam itineri de Recke tom. III. p. 331. sq. Singulare de pinnis Tarentinis carmen condidit Nicolaus Thomasius de Vincentiis, memoratum a Riedeselio. cf. Carducci p. 88.

aut potuisse comparari, aut eas superasse. — De ipsa vestium luxuria alio loco exponendum est. [9]).

Excellebat populus Tarentinus cum tingendi texendique arte, ut modo perscripsimus, tum *aeris tractandi* laudabili peritia; cujus Tarentinae sollertiae unicum, quantum scio, exemplum servavit Plinius nat. hist. XXXIV., 6. sic locutus: privatim Aegina candelabrorum superficiem dumtaxat elaboravit, sicut Tarentum scapos i. e. candelabrorum [10]) truncos ac ramulos. Müllerus Aegin. p. 80. hanc ipsam laboris separationem cultioris opificii specimen esse recte animadvertit. Verum alia quoque floruisse ejusdem generis opificia permulta docent utensilia aurea atque argentea a Romanis olim Tarento abrepta Liv. XXVII., 16, et nostris temporibus in loco quodam prope mare nonnunquam reperta. Hunc incola vocat: argentaria, quippe antiquitus habitatum a fabris aurariis et argentariis. Swinburn. tom. I. p. 296. Salis p. 82. de Non tom. III. p. 73. fol. (tom. V. p. 161. vers. germ.), sicuti Athenis loco segregato in ceramico figulis erant domicilia. Pausan. I., 3, ac simile fortassis Sybaritarum institutum, eas quae cum strepitu exercerentur artes ex urbe sua, ne somnus impediretur, propellentium. Athen. XII. p. 518. Sed de his hactenus. Marinos thesauros apparet quam terrestres copiosiorem Tarentinis praebuisse opificiorum materiam. — De vasorum confectione, ubi ad artes perventum fuerit, sermo instituetur.

Caput III.

De mercatura institutisque ipsam adjuvantibus.

1.) Mercatura et navigatio.

Accedimus ad tertiam victus parandi rationem, quae mercatura fit. Ac primum quidem quae fuerint res ad mercaturam aptae, ex primo alteroque disquisitionis nostrae capite facile intelligitur; ut igitur incipiamus ab agri Tarentini frugibus, vini mercatu magnos quaestus parari non potuisse, confitendum est, quod vina Italiae non aeque bene servari et dimitti atque Galliae edocemur nostrae aetatis experientia, praeterea vitium flore conspicuae erant cultiores terrae fere ad unam omnes in orbe vetere. Tritico contra et oleo, ut hodie faciunt, sic olim mercaturam Tarentini facere poterant [1]). v. Carducci p. 87. de Non tom. III. p. 75. fol.; sileo reliquas fruges. Ovinam lanam mercantibus traditam esse majori ob pulchritudinem pretio quam alia vellera, observavit Columella VII., 4, quod confirmari videtur Catonis loco admodum turbato apud Festum s. v. pascales oves (Lion fragm. p. 81.). Itidem thynnos aliosque pisces in exteras terras, sale adspersos, esse exportatos inde colligas, quod hodie etiam magnum vectigal piscium Tarento exportatorum solvitur utriusque Siciliae regi [2]). Purpura Tarentina certe non Romam solam allata est, in qua urbe Divi Augusti tempore et paullo ante vigebat, sed ad Sybaritas eam censeo portatam esse, quorum pueri ad pubertatem usque purpura induebantur. Athen. XII. p. 518. e. collat. 521. d. Tarantinidiis denique ute-

[9]) De tarantinidio pluribus exposuerunt Caelius Rhodiginus lectt. antiq. XI., 10. p. 840. Cuperus obss. III., 14. p. 320. Tollius ad Lucian. de calumn. non cred. tom. VIII. p. 409. ed. Bip. Mercerius ad Aristaenet. epist. I., 25. Bentlejus resp. adv. Boyl. ad Phalarid. tom. II. p. 195. [10]) Fortasse ipsum candelabrum, quod dono Tarentinis dedit Dionysius Athen. XV. p. 700. d., Tarenti confectum est.

[1]) Maximus olei mercatus nostris temporibus urbis est Gallipoli in Calabria sitae, neque is lucri exigui. de Non tom V. p. 147. Riedesel. p. 216. sq. Salis p. 138. sq., ubi de olearum cultura tam hodierna quam antiqua verba facit. [2]) Nec tamen dissimulandum, mercatura quantopere interdum sit mutata, mutatis gentium moribus, diversisque nationibus in terris diversis, diversis temporibus, potentiam ac florem assecutis.

bantur Siculi, ut liquet ex epistola Aristippi ad Antisthenem data [3]), ubi is de luxu conqueritur Syracusano in Dionysii aula. Quin ex Hesychio compertum habemus, singulare Tarenti exstitisse vestium forum nundinarium, quod vocabatur ἱσταλωπία, ut κάπηλα: ἡ κρεώπολις ἀγορά. Hesych. s. vv.

De mercimoniis cum nobis constet, ipsius mercaturae indoles consideranda est. Satis quidem probabilitatis habet in ipsius Italiae regiones nonnihil mercium a Tarentinis devectum esse, quippe quibus cum Samnitibus, quorum ipsi blanditiis appeterent amicitiam Strabo tom. II. p. 207. Tz., commercium intercessisse merito existimaveris; nec minus fuit cum Etruscis [4]) aliisque gentibus Italiae, ut sola Tarentinorum lex nummaria (vide infra) docere te potest, quandoquidem auctorum de hac re testimoniis plane destituti sumus. Attamen maritima urbs et ad maritimum commercium opportune sita (Scymn. 333. [5]) navigatione potius quam terrestribus itineribus mercaturam facere debebat, quod mercandi genus facilius est et expeditius et ad quaestum utilius, quoniam majora navibus quam plaustris portantur onera. Navium ope per maris procellosi fluctus e Laconica in Italiam venerant Tarentini coloni maritimae vitae adsuefacti; excrescente civitate navigatio quoque effloruit. Quum enim paucissima loca omni navali materia abundent, habuere tamen in Europa cum Thracia et Macedonia tum Italia Theophr. hist. plant. IV., 5, 5; potuit ideo ad naves exstruendas ligna suppeditare Tarentinis finitima Peucetia silvis foecunda, quae nomen traxit a pinis. Poppo proleg. ad Thucyd. tom. II. p. 551. sq. Sic factum est, ut cum externis gentibus navigando maritimum commercium Tarentinis exsisteret, de quorum mercatura est locus classicus apud Polybium X., 1, 1. sq. sic referentem: Quum ab urbe Rhegio Tarentum usque Italiae littus importuosum esset, habitatum tamen a barbarorum populis numerosissimis, simul Graecorum urbibus ornatum celeberrimis, accidit, ut quicunque vel e Sicilia vel e Graecia, quas ad terras spectat universi hujus litturis tractus, vel Bruttios et Lucanos, Daunios et Calabros, vel Locros, Cauloniam, Crotonem, Thurios et Metapontum petebant, ii ferme omnes, ut in Tarentinorum portus (eosque praestantissimos. Wachsmuth antiq. Graec. I. 1, p. 58.) naves pellerent, coacti essent; quo factum est, ut omnia cum populis illius orae externorum hominum negotia Tarenti absolverentur, merces permutarentur. Possit autem conjicere aliquis, sic pergit Polybius, loci opportunitatem ex opulentia Crotoniatarum, ii enim, quum solum aestivas navium stationes haberent et parvum quendam appulsum, magnas tamen divitias nulla alia re videntur sibi parasse, quam locorum opportunitate, quae ut conferatur cum situ ac portubus Tarenti ne digna quidem est. cf. Drumann de graec. civit. ruina p. 519. At minus etiam quam Crotonienses mercaturae Tarentinae offecisse Sybaritas, intelligitur ex Athenaeo XII. p. 431. Schw. (fragm. Timaei p. 287. Göller), etenim hi deridere eos, qui relicta patria in exteras terras proficiscerentur, ac gloriari solebant, quod super fluviorum suorum pontibus consenuissent [6]). Quos fructus gignebat ager Sybaritanus, ii fere omnes, quoniam importuo-

[3]) Est haec epistola inter Socraticas nona in collectionis Orellianae tomo I., quae etiamsi genuina habenda non videatur, in moribus tamen probandis testimonio esse potest. [4]) Vel mari vel terris commercium, certo constat de amicitia inter Sybaritas et Etruscos. Müller de Etrusc. vol. I. p. 292. [5]) Recte se habet id, quod protulit Michael de Jorio hist. commerc. et navig. tom. I. p. 418, Italiam dominam esse factam maris Tyrrheni per Tyrrhenos, Adriatici per Spinae incolas, Ionici per Tarentinos. cf. ibid. p. 429. sq. De Spina quidem dubitat Mannertus geogr. antiq. tom. IX. p. 1. p. 105. sq., sed libentius audio Niebuhrium hist. Rom. tom. I. p. 38. sq. edit. II. [6]) Sybaritae unde tantas opes conquisiverint explicatu haud facile esse, monuit Heynius opusc. tom. II. p. 129. sq.

sum illic mare erat, ab ipsis civibus consumebantur, nec devecti sunt. Post conditos ab Atheniensibus Thurios Olymp. LXXXIV., 1, (Raoul-Rochette hist. colon. graec. tom. IV. p. 86.) eo quidem loco majus videtur exstitisse cum ipsa Graecia commercium cf. Böttiger Amalthea tom. III., p. 60. sq., de mercatura autem nihil observatum invenimus, nec Metapontini constat, agricultura divites facti, an praeter Crissam aut Graeciae aut aliarum terrarum loca navibus suis petierint. Eustath. ad Dionys. 368. Strab. VI., p. 264. collat. tom. III. p. 499. Tzsch. Heraclea denique Tarentinorum colonia, ut alias civitates omittam extra sinum Tarentinum sitas, metropolis longe potentioris negotia vexare vix potuit; idcirco mercatura facienda vicinas Italiae urbes Tarento superatas esse, in aperto est. Verum etiam Adriatici maris portubus opportunitate Tarentum antecessisse largiendum est, quicunque enim in Italiam ab Iapygio promontorio Sipontum usque tendebat ex oris oppositis, Tarentum navem appellebat hac urbe ad commutandas et transferendas[7]) merces usus tanquam receptaculo (ἐμποϱίῳ[8]). Atque hoc olim magis etiam quam suo tempore fuisse affirmat Polybius X., 1, 7. sq., tunc enim conditam nondum fuisse Brundusinorum urbem; ex quibus verbis Tarentinos maxime floruisse circa Olympiadem centesimam[9]) et quod excurrit, quum Polybius, qui per octoginta duos annos aetatem degit Lucian. Macrob. 22., Olympiade CXLIV aut CXLV natus sit cf. Schweigh. Polyb. tom. V. p. 3. sq., jure colligere mihi videor. Sed id quod de Brundusinorum urbe prodidit Polybius fateor nunquam me esse conciliaturum cum aliorum auctorum de antiquitate Brundusii sententiis Heyn. opusc. VI. p. 460. sq., nisi Polybii verba ad coloniam Romanam retulero Brundusium deductam Torquato et Sempronio Romae consulibus a. u. c. 510. Vellej. I., 14, 8.[10]), ante quod tempus vetus Brundusinorum urbs Tarentinorum potentia omnino depressa fuerit. Demonstrat totus Polybianus locus, Tarentinos eo potissimum mercaturae genere excelluisse, quod nostrates vocant: Zwischenhandel sive Transitohandel, aliarum gentium merces vendendo, in quo utrum ipsi Tarentini merces emerint, deinde majore pretio vendiderint, ut consentaneum est, an merces apud eos ad vendendum depositae, ipsi vero lucri participes facti sint, pro certo non affirmaverim. Est autem istud mercaturae genus ad quaestus uberrimos longe optimum, olim a totius antiquitatis emporiis celeberrimis, opulentissimis, potentissimis, a Tyro, Carthagine, Mileto aliisque exercitum. Simul ex eo, quod fortuna servavit, Polybii capite nullo. colligitur jure, Tarentinorum mercaturam non eam fuisse, quam activam nostrates dicere solent cf. Müller Doriens. tom. I. p. 216., nam, ut concedam, peregrinorum exstitisse multos, qui suismet ipsorum navibus Tarento in patriam deveherent merces e Magna Graecia conquisitas, insignis tamen Tarentinarum navium numerus classisque apparatus (Strabo VI., p. 291. Tz.) tam aliarum gentium quam Tarentinorum mercimonia ab his ipsis in peregrinas terras portata esse coarguit. Quarum navium etiamsi pars ad maritima bella gerenda parata esset, pars quoque mercaturae faciendae inserviisse

---

[7]) Sic recte, opinor, vocem μεταϑέσεις apud Polyb. X., 1, 8 vertit Casaubonus, quamvis dubitet Schweighäuserus proponens διαϑέσεις. Sensus est: nisi peregrini merces suas statim commutabant Tarenti, translatas eas reliquerunt ad vendendum. [8]) Placet hoc loco referre Plauti verba Menaechm. 1010. Both: cum patre ut abii Tarentum ad mercatum; postea inter homines me deerrare a patre atque inde avehi. cf. ibid. prolog. 26. sq. [9]) Male Carduccius ad Aquin. p. 78. Tarentinae mercaturae florem ponit in temporibus ante adventum Partheniarum praeterlapsis. [10]) Heynius opusc. tom. VI. p. 462. Polybii locum eo quod Brundusinum portum serius quam Tarentinum nactum esse celebritatem affirmat, parum accurate explicuit, ad rem quidem recte, sed scriptoris verbis minime satisfaciens.

videtur, quae aut deveheret onera, aut a piratis defenderet. Huc maxime pertinent Flori (I., 18.) verba, repetita a Pomponio Sabino ad Virg. Aen. III., 551.: Tarentus urbs in ipsis Adriatici maris faucibus posita in omnes terras, Istriam, Illyricum, Epirum, Achajam (Graeciam), Africam, Siciliam vela dimittit[11]). Ac quid in singulas terras navibus suis Tarentini portaverint, quum veterum scriptorum nemo disertius exposuerit, meris conjecturis assequi nolumus, sed Flori verba juvat aliis testimoniis et confirmare et amplificare.

Fuisse quoddam Tarentinis cum Illyrico commercium, Plauti locus Menaechm. prolog. 32. probare potest, ubi Epidamniensem mercatorem Tarentum navigasse is dicit; nec minus cum Epiro intercessisse inde colligitur, quod bellorum duces sibi Tarentini expetiverint Epirotarum reges Alexandrum Molossum Strabo VI. p. 291. Tz. atque Pyrrhum illum celeberrimum, cui ante Romanum bellum naves adversus Corcyram praebuerant. Pausan. I., 12, 2., amicitia procul dubio ab initiis mercaturae gratia juncta. De ipsa Graecia ut moneam, minime abalienatos esse Tarentinos a patria Lacedaemonia compertum est, quippe ex qua bellorum duces arcessiti sunt Archidamus et Cleonymus Strab. l. c., item Corinthios nautas venisse Tarentum docet Arionis fabula. lib. de orig. Tarent. p. 11. sq. nota ad Sophocl. Antig. p. 234. sq. Herm.[12]). In Asia minori Herodoto teste III., 138. amicitia Tarentinis intercedebat cum Cnidiis, quam praeter mercaturam adjuvabat communis stirpis origo[13]), nam Cnidii etiam e Laconica profecti sunt (Herod. I., 174.) urbem habitaturi ad maritimum commercium opportune sitam, tantam deinde potentiam adeptam, ut in Liparenses insulas coloniam miserit. Müller. Dor. tom. I. p. 124. Cui civitati quemadmodum commercium erat cum Cyrenaeis Herod. IV., 164., pariter e Lacedaemonia terra oriundis (cf. Raoul-Rochett. hist. colon. graec. tom. III. p. 275. sq. Müller. Orchom. cap. 17.), sic Tarentinis quoque fuisse existimo, qui Cyrenis silphium sibi peterent egregium medicamen. v. intpp. ad Hesych. *Βάττου σίλφιον*. Iam quibus conjectura nostra nondum satis firmatur Africa apud Florum memorata, cogitent ii velim de Carthagine, cujus classem in auxilium sibi vocavere Tarentini quam contra Romanos tam contra Pyrrhum. Zonar. Ann. VIII., 6. Oros. IV., 3. 5. Denique in Sicilia cum Syracusanis aliisque Doricae stirpis coloniis Tarentini amicitiae vinculis conjuncti esse videntur, id quod probatur auxilio Tarentino adversus Agathoclem illis misso Diod. XIX., 70, ne multum tribuam Plauti verbis prolog. ad Menaechm. 17. sq., ubi is de Syracusano mercatore Tarentum profecto narrat. De Istria, quam Florus initio posuit, quod addam, non habeo. Quamquam Tarentinos a magnis Phocaeensium et Massiliensium navigationibus (Brückner hist. Massil. p. 6. sq. 54. sq.) abstinuisse censendum est, de magno tamen, quod in mediterraneo

---

[11]) Ad navigationes Tarentinorum referenda est ancora in nummis Mionnet tom. I. p. 141. Suppl. tom. I. p. 283. sq. et Taras cum gubernaculo. Mionnet. tom. I. p. 141. sq. cf. Suppl. tom. I. p. 276. Exhibent alii nummi Tarantem delphino insidentem super undis agitatis Mionnet. tom. I. p. 145. Suppl. tom. I. p. 288. 290, aut funes tensos textiliaque (vela) vento afflata tenentem. Mionnet. tom. I. p. 146. sq. Navigia Tarentinorum in proverbium fere abiisse videntur. Petron. cap. 100. [12]) Consulto Tarentinorum legationem omitto Athenas missam. Plat. epist. IX. p. 492. Bekk., quod Platonis epistola genuina haberi nequit. [13]) Similis amicitia exstitit inter Sybarin et Miletum Ionicae originis urbes Herod. VI., 21. Diod. exc. Vatic. p. 11. Dind., adaucta mercatura, Sybaritae enim Mileto petebant vestes e lana confectas. Tim. ap. Athen. XII. p. 529. Schw. (fragm. p. 286. Göller). Raoul-Rochett. tom. III. p. 242. Micali Italia tom. III. p. 148. sq. Cubaeus Herc. Prodic. p. 45. Mirandum, quod Sybaritae tarantinidia non praetulerint. Bentlejus, qui in Zaleuci legibus Milesias vestes, nec Tarentinas, invenit vetitas, argumentum inde petiit, quo leges illas a sophista esse compositas affirmaret. cf. in Phalarid. tom. II. p. 194. sq., sed concidit haec ratio. Heyn. opusc. tom. II. p. 33. sq.

mari habuerint, imperio dubitari nequit propter solam pactionem cum Romanis ante Pyrrhi bellum factam. Appian. Samnit. VII., 1. cf. Müller. Etrusc. vol. I. p. 291.

Quaeritur in expositionis fine, ad quaenam usque tempora mercatu Tarentum viguerit, quem Polybii aetate circa Olympiadem CLX deminutum jam fuisse supra observatum est, efflorescente, quod omnes huc deferebantur, quibus e Graecia et Asia in Italiam iter esset (Strabo tom. II., p. 298. Tz. Bossi hist. Ital. tom. X., p. 412.), Brundusio[14]) Romano sub imperio. A vero arbitror non nimis te aberraturum, si Tarentinam mercaturam inde ex eo tempore, quo Romani, bello adversus Pyrrhum gesto, ipsa urbe potiti sunt 482. a. u. c., sensim defloruisse dixeris. Attamen Tarento enavigare Romani etiam solebant Appian. bell. civ. V., 50. 81. 84. 97. 98. 103., aut redeuntes navem appellere App. l. c. V., 93. 98. Tacit. Ann. XIV., 12, ut propter portus praestantiam, in quo tutam naves stationem haberent Appian. V., 99., felicemque urbis situm fuisse consentaneum est. Romanorum imperatorum aetate quietum et tranquillum locum Tarentum novimus, ob ipsam quietem Horatio adeo adamatum, ut ibi mortem sibi concupiverit. Od. II, 6, 23. Scribit in epistola LXVIII. Seneca: ille Tarentum se abdidit, ille Neapoli inclusus est, ille multis annis non transit domus suae limen. Croton enim, inquit Dio Chrysost. tom. II., p. 12. Reisk., Thurii, Metapontum, Tarentum olim urbes opulentissimae, nunc omnium desertissimae cf. Wachsmuth. antiq. Graec. vol. I., p. 2. p. 406, deletamque Magnam Graeciam vocaverat ipse Cicero de amicit. 4. Quare Tarentum removit Calpurnium Crassum hominem seditiosum Nerva imperator Aurel. Vict. epit. cap. 12., quem ipsum secedere Tarentum jusserat Domitianus. Philostr. Apollon. VII., 8. cf. Petron. cap. 100. Has sese praebuerunt fortunae vicissitudines!

2) Moneta et mensurae.

Factis de mercatura verbis, superest, ut de iis exponatur, quae scimus ad istam adjuvandam instituta esse, monetam mensurasque. Tulit aetatem nostram nummorum Tarentinorum insignis multitudo, argenteorum maxime, etiam aureorum, quum aenei sint rarissimi, fabrica in plerisque admodum mirabili. Eckhel D. N. tom. I., p. 145. Rasche lexic. tom. V., p. 1. p. 509. Ob quam ipsam nummorum copiam Tarentini ad unum omnes genuini existimari possunt, quod falsariis novos procudere minimo lucro fuisset cf. Mannert. geogr. vol. IX., p. 2. p. 54., neque apparent fraudis indicia. In urbe ex mercatura olim summum quaestum sibi parante reperta nummorum multitudo minime mira est, praesertim quum convenisse Tarentum peregrinos omnes constet, ex Magna Graecia mercimonia petituros; namque argentum atque aurum, quo ipsa Apulia carebat, ab illis e patria allatum Tarenti contenderim signatum esse, deinde in vicinas civitates dispersum, adeo ut nostris diebus Tarentino typo signati nummi apud Brundusinos aliosque inveniantur, ut suo loco copiosius enarrabo. Hac ipsa ratione nummorum communi usu Tarentinorum in vicinos imperium adjutum esse atque auctum facile perspicitur, nec Romanis temporibus nummorum illum in Italia inferiore usum obsoletum esse ex eorum frequentia libentissime conjiciam, dummodo id probari possit, retinuisse urbem feriendae monetae jus, donec a gloriae fastigio descendisset ad ignobilem quietem, uti Mazochius voluit ad tab. Heracl. p. 115., negante Eckhelio D. N. tom. I. p. 149. Iam vero, quum Magnae Graeciae nummi omnium sint antiquissimi[1]), si Olympiade L.

[14]) Et duplex inde trajectus ad montes Ceraunios et Epidamnum. Strab. l. c. p. 299. Langobardorum tempore Hydruntum maxime floruit, quam urbem mercimoniis aptam dixit Paulus Diaconus hist. Langob. II., 21.

[1]) Comprobant nummi Sybaridis Olymp. LXVII. deletae. Diod. XI., 90. Heyn. opusc. tom. II. p. 137, quorum permulti supersunt. Winckelm. opp. VI., 1. p. 18. V. p. 212. sq. Sed Athenis quoque nummos

Tarenti primum aes signatum esse dixeris[2]), nummos ibi per quadringentos aut quingentos annos cusos esse, a probabilitate haud abscedit. Sunt ii insignes typorum et varietate et elegantia, quam in plerisque Magnae Graeciae nummis solemus admirari[3]), ut nummis Romanis rei publicae liberae temporibus procusis longe antecedant. Winckelm. opp. tom. V., p. 292. Singuli typi quum suis locis accuratius describantur, nihil reliquum esse puto, quam ut in universum eos recenseam. Omnium frequentissimus est Taras heros delphino insidens, variis ornatus attributis terrae foecunditatem deorumque solemnia indicantibus, aut solus delphinus, nomine magistratus eponymi plerumque adscripto; nec rariores nummi armatorum equitum imaginem exhibentes, vel ad rei militaris studium vel ad equestres ludos referendi; comparent in aliis deorum capita, quorum cultu Tarentum gloriabatur, Jovis, Apollinis, Neptuni, Bacchi, Cereris, Herculis, ne alios commemorem. In his prae ceteris qui accuratius considerentur dignissimi ii esse videntur, qui Palladis caput galeatum et noctuam offerunt spectantibus[4]).

Atque haec quidem omnia facile explicantur. Majori eum difficultate quaestio absolvetur de pretio nummorum; nam unum modo ad hanc rem pertinens superest Aristotelis testimonium apud Pollucem IX., 80. (Neumann fragm. polit. p. 50.), ubi is *νόμισμα* apud Tarentinos vocari *νοῦμμον* prodidit, in quo cusum esse Tarantem Neptuni filium delphino inequitantem. Qui summi scriptoris locus ad opinionem quempiam ducere possit, *νοῦμμον* generale Tarentinis fuisse monetae nomen, videlicet, ut idem sit, quod *νόμος*[5]), sed probat alius ejusdem Pollucis locus IX., 87., fuisse *νοῦμμον* certi pretii monetam, habet enim: *τὸ μέντοι Σικελικὸν τάλαντον ἐλάχιστον ἴσχυε· τὸ μὲν ἀρχαῖον, ὡς Ἀριστοτέλης λέγει, τέσσαρας καὶ εἴκοσι τοὺς νούμμους· τὸ δὲ ὕστερον δυοκαίδεκα, δύνασθαι δὲ τὸν νοῦμμον τρία ἡμιωβόλια.* Quibus verbis si comparaveris relata a Suida s. v. *τάλαντον* et scholio Gregor. Naz. (apud Jungerm. ad Polluc. l. c. exscripto a Blomfieldio class. journ. vol. IV. p. 383. ex Montefalc. diar. Ital. p. 214.) utroque Diodorum secuto, item scholio ad Iliad. V., 176., talentum *τὸ νῦν λεγόμενον Ἀττικὸν παρὰ Σικελιώταις* primitus valuisse minas XXIV., deinde XII., haud dubium primo obtutu videbitur, quin locus alteruter aut mutilus sit aut corruptus. Venit igitur in mentem Mazochio ad tab. Heracl. p. 218. sq. Pollucem emendare

satis antiquo tempore cudendi metalla copiam fecerunt. Intpp. ad Winckelm. opp. V. p. 521. [2]) Exstat antiquissimus Tarenti nummus *incusus* (cf. Winckelm. tom. V. p. 153.), cujus vetustatem litterarum etiam forma arguit, ita ut eum minimum tertio post urbem conditam saeculo malleo subditum censeat vir peritissimus Eckhelius D. N. tom. I. p. 145. [3]) Etenim apud antiquas gentes nummi procudebantur non tam mercaturae gratia, quam qui publica essent artis monumenta. Intpp. ad Winckelm. opp. tom. V. p. 519. [4]) Nummorum Tarentinorum copiam optime monstrat Francisci Avellino liber inscriptus: Italiae veteris numismata Neapoli 1808 sq., in quo enumerantur aurei XLI., argentei CDLXVI. cujusvis magnitudinis a didrachmis ad minimos usque e thesauro archiepiscopi Tarentini Monsignor Capecelatro. Sic me docuit Münterus (Velia p. 43.). Librum mihi ad manum non fuisse doleo, debuit igitur sufficere opus Mionneti, qui in Suppl. tom. I. Avellino usus est; nec omittendum duxi Eckhelium D. N. tom. I. pro ea sagacitate, qua nummis hic vir gentium historias illustrari probavit. In supplementum adhibebatur Raschii lexic. rei numm. tom. V. p. I. Ipsas nummorum imagines edidit Goltzius Sicil. et Magn. Graec. tab. 31. sq., suspectae fidei homo, et Eckhelius num. vett. anecd. tab. III. et IV. Add. Juven. antiq. Tar. III., 5. Heyn. opusc. II. p. 220. sq. Winckelm. opp. tom. V. p. 359. [5]) Nam inquit Aristoteles ethic. ad Nicom. V., 5.: *διὰ τοῦτο τοὔνομα ἔχει νόμισμα, ὅτι οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ ἐστί.* cf. Göttl. ad Arist. polit. I., 3. p. 296. *Νόμον*, non *νοῦμμον*, esse formam genuinam docuit Blomfieldius class. journ. IV. p. 384., sed *νοῦμμον* pro forma antiquiori habet Mazochius ad tab. Heracl. p. 217. not. 15. Nomen obtigit ei monetae generi, quod prae ceteris in usu erat.

inserendo post εἴκοσι verba: τὰς μνᾶς, τὸ δὲ ὕστερον δυοκαίδεκα. ἡ δὲ μνᾶ τὸ μὲν ἀρχαῖον τέσσαρας καὶ εἴκοσι, reliquis servatis. Quae viri docti conjectura eo egregie confirmatur, quod minas argenti Heracleensibus, ideo etiam Tarentinis in usu fuisse apparet e tabula p. 216. 230. 231. 245., quemadmodum in usu nummus argenteus fuit. ibid. p. 216. Varro de ling. lat. IV., p. 47. Bip. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 217.; ac Tarentinam monetam a Siciliensi diversam fuisse vix quisquam existimare potest, ita ut Mazochio peracute disserenti talentum Atticum largiri possis continuisse minas XXIV., deinde XII., minam nummos totidem, nummum obolum et semissem.

Quae omnia quum per se a probabilitate minime aliena sint, nullo tamen modo perspicitur, quid constituendi minoris hujus, quam vulgo esse solebat, talenti Graecis tam Siciliensibus quam Italicis copiam fecerit, et caussae fuerit. Contra servata Pollucis auctoritate, aut potius Aristotelis, et emendatis Suida aliisque, quod jam proposuit Blomfieldius l. c. p. 382. cf. Bentlej. in Phalarid. tom. II., p. 256., rem eo felicissime explicuit Müllerus Dor. tom. II. p. 216. sq., quod νοῦμμον partes alias continuisse affirmavit duas et semissem, ita ut propter sexaginta partes ad Aeginetici talenti exemplum sexaginta minas continentis judicandum sit, XXIV. nummis talenti nomen obtigisse; quam partem talenti sexagesimam λίτραν fuisse, docet idem vir eximius, recensitam inter nummos Graecorum Siciliensium ab Aristotele in Himer. republ. apud Polluc. IV., 173. sq., IX., 80. sq. (Neum. fragm. polit. p. 102. sq.).

Equidem, ut sententiam meam ingenue profitear, duplicem Tarenti non solum, sed etiam in Italia inferiore Siciliaque fuisse monetae computandae rationem arbitror. Etenim persuasum habeo, fuisse talenta argenti et minas, quales apud Heracleenses, deinde drachmas, quae sunt in nummis Tarentinis[6]), et obolos, quemadmodum apud Metapontinos, quorum in nummis oboli nomen litteris expressum conspicitur. Eckhel D. N. tom. I. p. 156. cf. proleg. cap. IX. Quam legem nummariam petitam esse censeo ab Aeginetis. Müller Dor. tom. II. p. 213., atque secundum eam mercaturam factam cum ipsa Graecia. Alteram nummariam legem instituerunt Graeci Italiae Siciliaeque incolae propter id, quod habebant cum antiquis Italiae gentibus commercium; petierant enim ab istis monetae divisiones procul dubio ante Pythagorae aetatem, quamquam is primus in Italiam induxisse pondus et mensuras traditur. Diog. Laert. VIII., 14. ex Aristoxeno (cf. Mahnii diatrib. p. 50.). Accommodati sunt nummi ad aeris, quo abundabat Italia, non ad argenti Romae demum post bellum cum Pyrrho gestum signati (Plin. nat. hist. XXXIII., 13. Suid. s. v. μονῆτα) pondus, in quo monetae genere ὁ νόμος fuit usitatissimus, sestertio fere par, quo factum est, ut sestertium Romani nummum vocarent ad Graecorum exemplum. Nummus, quum obolum aequaret et semissem, pars quarta fuit drachmae sex obolos continentis, quemadmodum sestertius denarii cf. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 217., ita ut talentum Graecorum in Italia et Sicilia aut sex (Neapolitanum) aut trium (Syracusanum) denarium esset, Rhegino talento modo victoriatum exaequante, auctore Festo s. v. talentorum, ubi Dacerius male supplevit: millium. Assi, qui ab origine fuit libra, respondet λίτρας nomen, ut, quot asses continebat sestertius, tot litras nummum continuisse dicas[7]) nimirum duas et semissem, litras autem sexaginta effecisse talentum XXIV nummo-

[6]) Romé de l'Isle pro ea, quam fecit drachmarum partitione in XIV. species, Tarentinas drachmas exhibuit inter drachmas Aegii sive Peloponnesiacas p. 53., inter Chalcidenses sive Euboicas p. 61., Cretenses sive Chias p. 78., Atticas p. 83. et Attico-Sicilienses aureas p. 91. Sed nihil esse species eas intellexit Müllerus Dor. tom. II. p. 213. sq. [7]) Itaque quod voluit Boeckhius oecon. Athen. tom. I. p. 17. sq. (cf Ignarra de phratr. p. 188.), nummum aequasse litram, id cum Müllero omnino negamus.

rum. Iam si Pollucis fidei, quocum consentiunt scholium Gregorii et ad Iliad. V., 576. ex Apollodoro, ut nummus obolum ac dimidium continuerit largimur, litra tribus exaequatur oboli partibus quintis; at litram Agrigentinam aequasse obolum Aeginensem prodidit Aristoteles apud Polluc. IV., 174. IX., 80. cf. Müller Aegin. p. 91., id quod nostrae rationi prorsus repugnat, nisi erroris accusamus Aristotelem. Quem scriptorem alioquin accuratissimum obolum Aegineticum pro Attico male posuisse persuasum habeo, quum enim vulgo drachma modo sex contineret obolos, Aeginetica tamen drachma decem aequabat obolos Atticos (Pollux IX., 76. et 60., ubi vide notas), adeo ut Aegineticae drachmae pars quarta ($1\frac{1}{2}$ obolorum Aegin.), qualis fuit nummus, obolos Atticos aequaret duos et dimidium, quot asses sestertius. Aequabat igitur litra obolum Atticum. Sic omnia recte procedunt[8]), nec multum offendit Aristotelis error, qui ipse aliis locis apud Polluc. IV., 175. IX., 81. obolum cum litra comparavit, nulla injecta discriminis mentione, utrum Aegineticus sit, an Atticus cf. Hesych. s. v. *λίτρα,* nam parum diligentes fuisse veteres scriptores in comparandis pecuniae generibus alio exemplo probavit Bentlejus resp. adv. Boyl. p. 265. De diverso talenti pretio olim XXIV., deinde modo XII. nummos continentis quaerentibus institutam hanc rationem fuisse in singulis civitatibus profiteor ob sola computandi commoda, nec raras istius modi mutationes ac diversitates exstitisse, indicio esse potest talentum Tauromenitanorum, si quidem id XLVIII nummos aut CXX litras continuisse videtur[9]) secundum inscriptionem laudatam a Müllero Dor. tom. II. p. 217. Ceterum liquet ex iis, quae disputata sunt, Italos et Graecos invicem sibi accommodasse monetae usus Heyn. opusc. tom. II. p. 249., quoniam ab his ad illos abiit Graecum nummi vocabulum, teste Polluce IX., 79. (cf. Fest. s. v. nummi. Varr. de ling. lat. IV. p. 47. Bip. ibiq. Scalig.), ab illis ad hos litrae nomen Hesych. *λίτρα,* et universa computandi ratio, quam vocant duodecimalem, litra in duodecim *οὐγκίας* divisa[10]). Sic videre est apud Pollucem, ubi is ex Aristot. republ. Himer. nummos eos recensuit, qui Graecis Siciliensibus in usu fuerant. cf. Müller. l. c. p. 214. sq. et tabul. confect. a Bentlejo l. c. p. 255. sq. De ipso istius monetae pondere ac pretio nummis, qui nostra aetate valent, expresso, quum adire liceat metrologiam conscriptam a Romé de l'Isle Paris. 1789. 4., nihil addam.

Mensurarum, quas Tarentini habebant, tria servantur nomina apud Hesychium: *ἀκρόδρυον, βάφιον, τρίογδον,* quorum primum proprie significat fructum foris putamen habentem. Geopon. X., 74. ibiq. Nicl., atque sic *πλῆρες μέτρον* vocatum esse a Tarentinis, ut Hesychius adnotavit, concedo ob utriusque rei similitudinem. *Βάφιον* Hesychius explicuit: *ὀξύβαφον,* quod Romanis est acetabulum Wurm de pond. p. 120, pars quarta cotylae[11]) quindecim drachmas continens. Romé de l'Isle p. 25. E vocabulo *τρίογδον* nihil aliud cognosces, quam

8) Alia ratione rem expedierunt Salmasius et Gronovius apud Pollucem pro *τρία ἡμιωβόλια* scribentes *τρίτον ἡμιοβόλιον*: duo obolos cum dimidio, in quam partem cedunt Bentlejus in Phalarid. p. 265. et Müllerus Dor. tom. II. p. 216. sq. Verum si oboli Aeginetici intelliguntur, nummus non quarta pars est drachmae, sin Attici intelligendi, explicatio nostra simplicior est. Rectius dixeris litram Agrigentinam paullo majoris pretii fuisse quam alias, in favorem *δεκαλίτρου* Corinthiaci. cf. Boeckh. oecon. Athen. tom. I. p. 17. sq., ne pluribus disputem. Tarentini etiam decalitra procudisse videntur. cf. Müller. Etrusc. vol. I. p. 326. 9) Sed idem Müllerus Etrusc. vol. I. p. 315. sq. nummum quinque litras exaequasse conjectura proposuit. 10) Comparent globuli uncias denotantes nummorum Etruscorum in nummis quoque Graecorum et Italicorum et Siciliensium. Müller. Etrusc. p. 314. sq. 11) Cotylae cognomine ornarunt Tarentini hominem illum ebrium, qui spurcitiam adspersisse dicitur Posthumii Romani legati vestibus. Dion. Halic. antiq. XVII., 7. — Cotylen Tarentini appellabant etiam *ἀφύσσαν.* Hesych. s. v.

fuisse mensuram ternariam. Sed aliae innotuerunt Tarentinorum mensurae ex tabulis Heracleensibus, si quidem easdem illorum et Heracleensium fuisse mensuras judicandum est. Occurrit in tabulis notissima mensura ὁ μέδιμνος p. 174. (multisque aliis locis, quos lexicon Heracleoticum suppeditabit.), ibidem ὁ κάδδιχος. cf. p. 249. 273 sq., quam vocem interpretatus est Hesychius s. v. κάδδιχον: ἡμίεκτον ἢ μέτρον i. e. τετραχοίνικον cf. Hesych. s. v. ἡμίεκτον, medimni pars duodecima. Wurm. p. 132. Vocis etymologiam a κατὰ δίχα petiit Mazochius ad tab. Heracl. p. 174 sq., ut significetur id, quod bifariam dividitur, ἡμίεκτον enim e bisecto sextario exstitit, sed κάδδιχον vulgo dictum esse ἄδδικα observarunt interpretes ad Hesych. l. c. Ipsa χοῖνιξ legitur in tabulis p. 268. 274. 277, quae caddichi est quarta pars, ita ut medimnum Tarentinum continuisse XII. caddichos, XLVIII. choenices perspicuum fiat. cf. Bekker anecd. tom. I. p. 262. Χοῦς inter mensuras aridorum referendus memoratur tabularum paginis 268. 274. 209, ubi vide Mazoch. Cotyla et oxybaphum minimae sunt mensurae imprimis humidorum.

Inveniuntur praeter cavarum mensurarum genera longitudinum quoque mensurae apud Heracleenses, sic ἡ σχοῖνος et τὸ ἡμίσχοινον (cf. Bekker anecd. I. p. 263) tab. p. 158 sq., ubi vide Mazoch. et Maittair; quae vox apud Herodotum II., 6 masculino genere legitur, sed cum tabulis facit Dioscorides IV., 52, ac duplex genus observavit Athenaeus III. p. 122. a. Σχοῖνος proprio sensu est junci species ad funes plectendos aptissimi, unde pro fune usurpari solebat, sed quoniam funes metiendis intervallis adhibebantur, ut σχοῖνος longitudinis mensuram denotaret factum est, quae apud Aegyptios stadia LX. in longum patebat Herod. l. c. E Plinii testimonio nat. hist. VI., 30 Persae schoenos alii alia mensura determinabant; nonnulli schoenum stadia XXX. patere faciebant. Plin. V., 11. Eratosthenis ratione stadia LX. patebat, alii denique XXXII. stadia singulis schoenis dederunt. Plin. XII., 30. De quo tamen schoeno ut cogitetur in tabulis, ad longiora intervalla demetienda idoneo, vetat angustus Heracleae ager; contra apparet ex Heracleensi tabula altera p. 266. schoenum istum agrarium divisum esse in ὀρέγματα sive passus, mensuras scilicet, quae passis cruribus contineantur, ὄρεγμα in πόδας sive pedes. ibid. p. 268. Quin accuratius e pag. 274 sq. schoenum continuisse ὀρέγματα XXX. colligitur, ut recte perspexit Mazochius, nec minus certo constat e pag. 266 sq., quod idem vir doctus observavit, ὄρεγμα quattuor complexum esse πόδας, quum tamen Romanus passus quinque pedes fortassis minores contineret, haud obscuro teste Plinio II., 21. Ceterum vix memoratu dignum videtur, Heracleenses Tarentinosque ad demetiendos agros quadrato schoeno usos esse, qui secundum Mazochii sententiam p. 260 sq. aequalis fuit actui agrario sive Latino jugero dimidio. Varr. de re rust. I., 10. Colum. V., 1. Ambitum schoeni minorem apud Tarentinos quam apud alias gentes non est quod mireris, quum idem de moneta constet.

3.) Epimetrum
de Tarentinorum opulentia.

Restat, ut quantas strenuus ac sedulus Tarentinorum populus re rustica, opificiis, mercatura conquisiverit divitias, quarum luculentissimum testem esse ingentem nummorum splendidissimorum numerum observavit Eckhelius D. N. tom. I. p. 145, consideremus. Agricultura, qua omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil est melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine, nihil libero dignius Cic. de offic. I., 42, quid valeat ad vitam large beateque degendam, Metapontinorum exemplo colligitur. Ii enim Delphos misisse feruntur anathema celebratum fama, aestatem auream Strabo VI. p. 264. Eustath. ad Dion. Perieg. 368, quod

idem et Myrinaei et Apolloniatae fecerunt. Plutarch. de Pyth. orac. 16. Piscatu effloruere Sinope (Hegewisch. de col. graec. p. 80) et Byzantium (Plin. IX., 20. Tacit. Ann. XII., 63. cf. Barthelem. iter Anachars. tom. II. p. 33. vers. Germ.), mercatura Miletus totque aliae civitates, quarum omnium rerum triplices divitias in unum conjunxit Tarentum, merito dictum εὐδαίμων πόλις a Scymno 331. Haec vel Crotonem superabat Polyb. X., 1, 6, cujus tamen adeo inclita erat opulentia Scymn. 322 sq. Polyb. VII., 1, 1, ut proverbii instar diceretur, nihil esse alias urbes, quando cum Crotone conferantur. Schol. Theocr. IV., 33. Apostol. XII., 65. Luculenter etiam veteris Tarenti magnificentia ex iis potest perspici, quae de urbe in bellis divitiis suis spoliata auctores tradiderunt. Sic Florus I., 18 in enarratione belli cum Pyrrho gesti extrema, tanta, inquit, de opulentissimis tot gentibus spolia, ut victoriam suam Roma non caperet. Nec enim temere ullus pulchrior in urbem aut speciosior triumphus intravit. Ad hunc diem nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitum arma vidisses: tum si captivos adspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus atque Lucanus: si pompas, aurum, purpura, signa, tabulae Tarentinaeque deliciae. Ac Livius XXVII., 16, ubi scribit de Tarento a Fabio Maximo tempore belli Punici II. expugnato, millia, ait, triginta servilium capitum dicuntur capta: argenti vis ingens facti signatique, auri octoginta tria millia pondo [1]): signa tabulaeque, prope ut Syracusarum ornamenta aequaverint. cf. de Non iter Neap. tom. III. p. 73. fol. Sed inde ab eo evento magnopere deflorebat Tarentina civitas, ruens in ignobilitatem et humilitatem, quamvis beate et quiete cives vixerint. Strabo VI. p. 292. Tz. cf. Mannert. geogr. vol. IX. p. 2. pag. 63. Quo tempore primum ista cum Romanis conflixit, finem fruendarum opum, quibus ad invidiam diu abundaverat, quaesivit Val. Max. II., 2, 5., Tarentum enim etsi deliciis suis, quibus ipsi fruebantur urbis victores, aliquamdiu retinuit antiquae opulentiae umbram, mox insatiabili Romanorum imperatorum luxuria et avaritia ad paupertatem redactum esse, quis est, qui negaverit?

Sectio II.

Mores Tarentinorum.

Pervestigata ratione ea, qua quae ad victum cultumque sunt necessaria, sibi paraverint antiqui Tarenti cives, quo modo ipsam vitam instituerint, deinceps considerandum est. Quae tota morum expositio in describenda famosa civitatis luxuria [1]) ad omnes vitae partes pertinente cf. Iuven. antiq. Tar. IV., 3. Heindorf ad Horat. sat. II., 4, 34, nec tamen ita infami, ut quidam voluerunt Bossi hist. Ital. tom. III. p. 323. sq., versari debet.

1.) Luxuria in universum.

Tarentinam historiam perlustrantibus urbisque originem pulchre callentibus mirum omnino accidit, Spartanorum Laconumque coloniam ita recessisse ab institutis patriis, ut ea

[1]) Quod vix credibile esse recte adnotavit Goltzius Sicil. et Magn. Graec. p. 298. extr. Plutarchus Fab. 22. in aerarium congesta esse tradit tria millia talentorum, unde sequitur, Livium id quoque voluisse indicare, quod facta praeda inter milites distributum est.

[1]) Famosus Oebalii luxus Tarenti. Claudian de cons. Mall. Theod. 158, ubi tamen librorum varians lectio reperitur.

non modo non fideliter servaverit, sed in contrariam potius partem abierit. Quam ad rem nonnihil aëris temperies [2]) fecisse videatur, quae, ut mitis erat, ita ad mollitiem traxit homines, nec prorsus, ut in Sybaritarum agris, sine damno erat. Heyn. opusc. II. p. 128. sq. Confirmat rem Tarentinae dialecti vocabulum μαιριῆν, quod est κακῶς ἔχειν. Hesych. s. v. μαῖρα, referendum ad *ventos* Sirio orto flantes molestumque hominibus ardorem ferentes Müller Dor. tom. II. p. 418, nam μαῖρα κύων τὸ ἄστρον ἢ ἀκμαιότατον καῦμα. Hesych. l. c. ibiq. intpp. [3]) Cognoscent, ea non sola conjectura niti, qui de vento Iapygio, de ovium gregibus ante Sirii ortum in Samnium traductis, de oleis aurae marinae putredine marcescentibus supra copiosius expositorum meminerint, et quibus mollioris vitae apud eos, qui nostra aetate sunt, Tarenti cives insignis amor ac desiderium innotuerit. cf. Riedesel iter p. 205. de Non. tom. III. p. 71. fol. Suffragatur praeterea sententiae nostrae luxuriosissima urbium earum, quae Tarentino mari fuere proximae, Siridis, Sybaridis [4]), Crotonis aliarumque vivendi ratio. Athen. XII. p. 439. 444. sq. Schw. Iustin. XX., 4, quas tamen Capua luxuria superasse dicitur. Athen. XII. p. 528. Cas. Quin tota Iapygum gens omni luxu, omni lascivia adeo imbuta erat, ut a diis propterea singulari poena affecta crederetur Clearch. (ut videtur) ap. Athen. l. c. p. 523; videlicet perfacilis ob mollitiem adventiciis Laconum colonis fuit Iapygum expugnatio. Cessit deinde, ut fieri solitum est — exemplo sunt magna Asianarum gentium regna — a victis ad victores molle vivendi genus, redactis in servitutem Iapygum plurimis, receptis in urbem aliis dataque civitate; in quibus Sybaritae aut praeierunt aut imitatores exstiterunt. cf. Müller Dor. II. p. 418. Sed maxime ad luxuriosam vitam instimulasse Tarentinorum animos opulentiam subministratam agricultura, re pecuaria, opificiis et mercatura persuasum habeo, quae quum in dies augeretur, augebantur pari modo voluptates, navibusque quod ipsa terra non genuit apportabatur. Notissimae inde factae Tarentinae deliciae [5]) Flor. I., 18. sive lauticiae Jornand. apud Murator. script. hist. Ital. I. p. 229. a. E., ac deliciosam civitatem Tarentum vocavit scholiastes ad Horat. Od. III., 5, 56. Quo tempore rei publicae forma ad plebis imperium sese inclinabat, eodem luxuria in urbem videtur ingressa esse haud multum ante Graecorum bella adversus Persas gesta; sic certe docet Clearchi locus apud Athen. XII., p. 522. d. Cas. (tom. IV. p. 441. Schw.), ubi de bello Carbinatibus illato circa Olympiadem LXXVIII., ut nobis quidem videtur, sermonem scriptor instituit; nec presserant hunc luxum Pythagorae monitus annique silentes. Claudian. XVII., 157. sq. [6]).

2.) C o n v i v i a.

Vere famosam, in quam sese effundebat Tarentum, luxuriem optime Theopompus rerum Philippicarum libro X. adumbrasse videtur, qui ingentem Eubuli oratoris Attici ἀσωτίαν

[2]) Ad aëris temperiem homines corrumpentem referenda epitheta: molle Tarentum Horat. sat. II., 4, 34. (ibi schol: aut quia mollior est ibi aër, aut a molli purpura. Male!), et imbelle epist. I., 7, 45. Horatii aetate non offendebat exigua urbs civium suorum luxuria. [3]) Apud Crotoniatas ventus quidam vocabatur κοκκυγία Hesych. s. v., opinor, quod veris tempore flabat, quando ὁ κόκκυξ canere incipit. [4]) Sybaritarum luxuria in proverbium abiit. Athen. XII. p. 518. sq. Suid: Συβαριτικαῖς. Diogenian. I., 2. VIII., 10. Zenob. V., 87. 88. Diod. exc. Vatic. p. 10. sq. Dind. ibiq. not. Maji. Apostol. XIX., 16. Heyn. opusc. tom. II., p. 172. sq. Micali Italia tom. III., p. 147. Göller de sit. et orig. Syrac. p. 286. sq. [5]) Immerito Tarentinas placentas inter deliciarum genera retuleris, legendum enim apud Athen. XIV., p. 647. c. Τερεντῖνον pro Ταραντῖνον, quod vulgo editum est, restituente ex membranis Schweighaeusero. cf. animadvv. vol. VII., p. 557. Condimenta Tarentinis vocabantur ἁρμόγαλα. Hesych. s. v. [6]) Cujus verba fortasse premenda sunt. Crotonis populum in luxuriam lapsum auctoritate sua ad usum frugalitatis revocavit Pythagoras. Justin. XX., 4, 5. sq.

significaturus hunc vel Tarentinum populum in conviviis modum retinere inscium superasse diceret. Athen. IV. p. 166. e. Cas. tom. II. p. 146. Schw. cf. animadv. vol. II. p. 584. Memorabile est quoddam Tarentinorum dictum, quod ex ejusdem Theopompi hist. libro LII. servavit idem Athenaeus IV. p. 166. f. (tom. II. p. 147. Schw.): alios homines sua industria et in opere faciendo sedulitate futuram sibi parare vitam, se vero, qui convivia agant et voluptatibus fruantur, non esse victuros, sed jam nunc vivere; ac profecto privatorum multitudo (Athen. l. c.) in conviviis compotationibusque continuo versabatur [1]). Coronatum Tarentum inde dixit Iuvenalis sat. VI., 297. lautas spectans, in quibus convivae sertis redimirentur, epulas cf. Creuzeri antiq. Rom. p. 354., optimeque istum morem confirmat de Metone cive Tarentino concionem coronato veluti e convivio ingresso narratiuncula. Dion. Halic. antiq. XVII., 13. 14. Ex eadem simul mulieres tibicinas in conviviis Tarentinorum amatoria cecinisse ipsosque convivas vel cecinisse vel saltasse, ut inter epulas Atheniensibus moris fuit Athen. IV. p. 134, cognoscimus; nec rarae fuerunt nocturnae commissationes, in quibus hilariter adolescentuli jocabantur. Nos tanquam exemplum docet Livius Romani praesidii praefectus, e convivio rediens, quod in museo [2]) instructum fuerat. Polyb. VIII., 29, 4. sq. Conviviorum commissationumque rabies adeo cives Tarentinos ceperat, ut Pyrrhus rex urbem servatum iri non crederet, nisi prohibitis ejusmodi voluptatibus, ideoque adolescentes aut in armis exerceri, aut per totos dies in foro agere jussit. Zonar. Annal. VIII., 2; sed civium multi ex urbe in agros cesserunt, *δουλείαν* vocantes *τὸ μὴ πρὸς ἡδονὴν ζῆν*, licentia enim *τὴν ἀήθειαν τοῦ ἄρχεσθαι* effecerat. Plut. Pyrrh. 16. Aberrarunt plane atque defecerunt in illa conviviorum instituendorum consuetudine a patriis Spartanorum moribus coloni Tarentini, sicuti fecerunt praeter Syracusanos atque Agrigentinos alii Doriensium, e patria in colonias deducti, mox Iones luxuria superantes. Müller Aegin. p. 188. Doriens. tom. II. p. 279. Wachsmuth antiq. Graec. I., 2. p. 326, namque a vitae parsimonia semper ad libidines, nunquam ad modicam et jucundam vivendi rationem datur transitus. Tarenti nescio an ex ipsis *συσσιτίοις* ad Spartanorum morem institutis, affluentibus deliciis aut in ipsis agris maribusque genitis aut aliunde advectis, insanum conviviorum amorem profectum dicere possim.

5.) Ebrietas.

Luxuriosae vitae coenarum magnificentiae arcte conjuncta atque inde effecta alia pars est ebrietas, etenim monente Aeliano V. H. XII., 30: *Ταραντίνοις ἐν ἔθει ἦν πίνειν μὲν ἐξ ἑωθινοῦ, μεθύειν δὲ περὶ πλήθουσαν ἀγορὰν* [1]), luxuriae profecto fastigium, quum alii post coenam circa vesperam, nec de die [2]), potare solerent, quo Pyrrhus maxime offensus *πότους δὲ καὶ κώμους καὶ θαλίας ἀκαίρους* interdixit. Plut. Pyrrh. 16. Ebrietatis quidem probrum et aliis Doricae stirpis colonis objectum est, Byzantiis Ael. V. H. III.,

---

[1]) Intellige ditiores homines, plebs enim impigra rei piscatoriae sedulo incumbebat. Genere nobiles res suas, ut apud Athenienses factum est, servis tradidere curandas. Boeckh. oecon. Athen. tom. I., p. 40. sq. cf. p. 128. Ceterum apte Casaubonus Manilii poëtae locum contulit, qui ita desinit: victuros agimus semper, nec vivimus unquam? Fere eodem modo Agrigentinos dixit Empedocles aedificare domos quasi in aeternum victuros, sed quasi postridie morituros deliciis quotidie se dedere. Diog. Laert. VIII., 63. cf. Ael. V. H. XII., 29. Diod. XIII., 81. sq. [2]) Illic *ἔμελλε γίγνεσθαι μετὰ πλειόνων*. Polyb. VIII., 27, 11.

[1]) Id est inter mane et meridiem. Intpp. ad Suet. Calig. 15. Perizon. ad Ael. l. c. Duker ad Thucyd. VIII., 92. Reitz ad Lucian. vol. VII., p. 539. Bip. [2]) Ernesti clav. Cic. s. v. de. Vel Neronem a medio demum die ad mediam noctem epulas protrahentem (Suet. Nero 27.) superabant Tarentini.

14 ibiq. intpp., Argivis et Tirynthiis Ael. l. c. 13. Athen. X. p. 442. d. Wachsmuth antiq. Graec. I., 2. p. 335, sed Tarentini, quorum vinum Athenaeus I. p. 27. c. capiti non infestum esse dicit, a temulentia omnino abstinentibus Spartanis Plat. de legg. I. p. 637. Steph., potando excelluerunt. Notus inter eos Philonides homo ebrius, ob ebrietatem Cotyla appellatus (cf. Apollod. ap. Athen. XI., p. 479. fragm. p. 453. Heyn.), Posthumii legati impudens irrisor (cf. supra.), ebrietatemque, quum a luxuria ad contumeliam et injuriam cives nonnunquam progressi sint Athen. XII., p. 522. d., Juvenalis *petulans* Tarentum dicendo sat. VI., 297. significasse videtur. Nec tamen semper ad probrosam injuriam Tarentinos temulentia rapuit, quum enim Pyrrhus quosdam Tarentinorum in convivio parum honoratum de se sermonem habuisse certior factus, arcessitos, qui ei interfuerant, percontaretur, an ea quae ad aures ejus pervenerant dixissent, tum ex his unus, nisi, inquit, vinum nobis defecisset, ista quae tibi relata sunt prae iis, quae de te locuturi eramus, lusus ac jocus fuissent. Tam urbana crapulae excusatio tamque simplex veritatis confessio iram regis convertit in risum. Qua quidem clementia et moderatione assecutus est, ut et sobrii sibi Tarentini gratias agerent et ebrii bene precarentur. Val. Max. V., 1. ext. 3.[3]). Idem argutius narrat Quintilianus VI., 3, 10. cf. Plut. Pyrrh. 8. A Tarentinis abiit vini cupido[4]) ad praesidium Romanum urbi impositum, nam Livius quoque praefectus de die (ἀφ᾽ ἡμέρας) potabat. Polyb. VIII., 29.

4) Publica solemnia.

Apud privatos homines luxuriam lasciviamque usu receptam fuisse, quum publice probaretur, nihil mirum est. Tarentinorum civitatem uno quoque fere mense boves sacrificare et publica convivia celebrare scriptum reliquit Theopompus apud Athen. IV., p. 166. f., qui quum Philippi Macedonis et Alexandri Magni aetate floruerit, luxuriam statim post Archytae viri moderatissimi mortem ad summum fastigium pervenisse existimari potest. Sententiam bene confirmat Platonis, qui Olympiade CVIII vita decessit Diog. Laert. III., 2, testimonium de legg. I., p. 637. Steph. (204. Bekk.), ait enim Megillus Lacedaemonius, vidisse se universam Tarentinorum civitatem in Bacchanalibus ebriam. cf. Athen. tom. II. p. 107. Schw. Si fides habenda Dioni Cassio (fragm. Ursin. 145, 1.), Dionysia[1]) celebrabant Tarentini accedente Romanorum classe, unde temulentia capti ad demergendas naves festinarunt. Neque ipsas mulieres a temulentia abstinuisse, videtur indicare Bacchantis feminae caput in nummis expressum[2]) Rasch. lexic. tom. V., p. 1. p. 515., quod quidem vitium foedissimum olim apud Romanos nec minus quam adulterium, vel mortis poena dignum judicatum est Plin. nat. hist. XIV., 14; mulieres enim neque in Italia vinum bibere solebant Alcim. ap. Athen X., p. 441. Cas. neque aliis in terris. Ael. V. H. II., 38. Quod Sybaritis moris erat, matronas ad publicas festivitates invitare, id Syracusanis in victu omnium delicatissimis (Apostol. XVII., 66.) inhonestum videbatur. Phylarch. apud Athen. XII., p. 521. — Constat, multis solemnibus rei publicae conditionem apud Tarentinos in deterius mutatam esse, et probant arcessiti in auxilium extranei duces. Strab. VI., p. 291. Tz. Pyrrhi regis temporibus ita deses factus

---

3) Ceterum eorum, qui hodie sunt Tarenti incolae, insignem humanitatem laudibus effert Riedeselius p. 205. de Non. tom. III., p. 71. fol. 4) Rhytium conspicitur in nummis. Mionnet. tom. I., p. 140; item Taras tenens calicem. Suppl. tom. I., p. 281. 287., vel cantharum Rasch. lexic. tom. V., p. 1. p. 517., vel lagenam ibid. p. 530., quae βυτίνη a Tarentinis vocabatur. Hesych. s. v.

1) Ad Bacchi festa spectat Alexidis locus ap. Athen. XI., p. 463. et XIII., 587. b. 2) Anancea pocula nobilium Tarentinarum laudavit Varro fragm. p. 245. cf. Popmae not. p. 311. Bip. Est locus e Nonio de generibus vasorum sumtus. s. v. craterra p. 572. Jun.

est populus, ut, quoniam gratum videbatur, quod neque in praesidiis esse neque quidquam laboris capere cogerentur, Miloni libenter arcem permitterent. Zonar. VIII., 2.

Quae quum ita sint, mirum sane accidit, quod pessima luxuries hominum corpora minime perdidisse videatur et satis frequens fuerit in regionibus prope Tarentum incolarum numerus Athen. XII., p. 445. Schw. Tribuimus in hac re aliquid gymnasticae artis flori, qualis ad Pyrrhi usque tempora gymnasia claudentis Tarenti fuit. Plut. Pyrrh. 16. Egregium omnino circa Tarentinum sinum hominum genus ad nostram aetatem perduravit; mulieres Calabriae, in his maxime Tarentinae, etiamnunc ob corporis pulchritudinem laudibus feruntur de Non. tom. III., p. 71. (tom. V., p. 158. vers. germ.) Salis. p. 107., quippe vultu, qui est formae Graecae[5]) Riedesel. p. 205., ita ut olim Cyrenaeis mulieribus non cessisse videantur. Boeckh. explic. ad Pind. p. 324. Erant Cyrenae quoque luxu dissolutae Ael. V. H. XII., 30., sed virgines corporis exercitationibus navantes operam virilem quandam pulchritudinem assecutae sunt. Boeckh. l. c. p. 328. Dixeris manasse aliquid nativae indolis in Cyrenenses Tarentinasque mulieres Lacedaemone profectum, quae feminarum suarum pulchritudine inclaruit. Clavier hist. prim. Graec. temp. tom. II., p. 155. Müller Dor. tom. II., p. 282.

5) Vestimenta.

Rejectis ad alium locum, quae de Tarentinorum urbe aedificiis signisque egregie exornata exquiri possunt ex antiquis scriptoribus, luxuriam in domibus privatorum simul illustrantia, de coenis quam privatis tam publicis disquisitionem jam alteram de vestium splendido apparatu insequi jubemus. De quarum conficiendarum ratione quum ante dictum sit, hoc loco accuratiora quaedam addimus. Tarantinidia nomen accepisse auctor est Pollux VII., 76. ab usu et luxu Tarentinorum, quippe qui ob luxuriam primi illud vestimenti genus invenerint. Eustath. ad Dion. Perieg. 376. Ut in hac re Polluci fidem habeamus alia vestium exempla a populis nominatarum laudanti, Creticum velamentum, tunicam Sardonicam, Siculam atque Phrygiam muliebrem cf. Coel. Rhodigin. lectt. antiq. lib. XI. cap. 10. p. 849. (Francof. et Lips. 1666.), non tamen pari fiducia dignus est Eustathius verborum suorum parum curiosus. Etenim antiquo tempore apud eos, qui Sirin habitabant in Italia Tarento proximam, prolapsos in luxuriam mollitiemque Sybaritica nihilo minorem proprius ac patrius mos erat, floridas tunicas (ἀνθινοὺς χιτῶνας) pretiosis mitris praecinctas gestandi. Idcirco a finitimis illi mitrochitones appellabantur, quemadmodum discinctos Homerus Il. XVI., 419. ἀμιτροχίτωνας vocavit. Athen. XII., p. 444. sq. Schw. Timaei fragm. p. 290. Göller. At Siris urbs ad Olympiadem L., quo tempore Tarentinos luxuries nondum corripuerat, floruit, nihilominus ne Sirini quidem illarum vestium inventores existimandi sunt, verum, quod suadere videtur Athenaeus l. c. p. 442. sq. (523. a. Cas.), ipsi Iapyges, pinnae marinae virtutum haud ignari, nullus enim dubito, quin luxurioso illo vestium genere ab Athenaeo memorato idem significetur, quod frequentiore Tarentinorum usu ab iis nomen deinde accepit[1]). Quod ἀνθινοὶ

[5]) In nummis haud rarum est ignotum caput muliebre perelegans. Eckhel. D. N. tom. I., p. 147. Mionnet. tom. I., p. 137. 39. 49. Suppl. tom. I., p. 276. 277. 279. 81. 84. Caput feminae ornatum annulis auricularis. Mionnet. tom. I., p. 140., aliud velatum cum diademate (fortasse Cereris). ibid. Suppl. tom. I. p. 275. 76. 77. Caput imberbe. Mionnet. tom. I., p. 148. Suppl. p. 280. Caput barbatum. ibid. p. 284.

[1]) Tarantinidium Martialis II., 43, 3. IV., 28, 3. sic indicat: toga lota Galaeso. Aliis vestibus e lana confectis, quae Mileto adportatae sunt, Sybaritae luxuriabant. Athen. XII., p. 519. b. ex Timaeo. Fischer ind. ad Palaeph. s. v. Μίλητος. Cubaeus Herc. Prodic. p. 45. Heyn. opusc. tom. II. p. 173. Beckmann ad Aristot. mirab. 99.

vocantur χιτῶνες illi, ornatum quidem, non materiam spectat, sed non textura sola, verum etiam ornamentis splendebant tarantinidia, unde ἐσθὴς Ταραντίνη εὐανθὴς dicitur apud Lucian. rhetor. praecept. 15. Gestabat enim Tarentinus civis splendidos praetextos vestibus limbos (παρυφὴν διαφανῆ[2]) Athen. XII., p. 441. Schw. (522. d. Cas.); addit Hesychius Ταραντινὸν: κρωσσοὺς ἔχον ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους, ac varii vestem fuisse coloris e Suida liquet. Summa tarantinidii virtus praeter haec in tenuitate ponebatur et pellucido cf. Cubaei Herc. Prod. p. 26.; ideo cum θεριστρίῳ comparatum est a Valckenaerio ad Adoniaz. p. 368. C., motosque Tarentinos ad usum solis aestu fuisse concedi facile potest. Heyn. opusc. tom. II., p. 172. Sed spectat luxuriem simul et tenuitatem Aristaeneti locus (epist. I., 25. ibiq. Mercer. cf. Lucian. l. c.): τὸ δὲ ταράντιον, ἐξ οὗ διαφανῶς ἡ ὥρα διέλαμπε, accusat enim sororem intercepti sibi amatoris meretrix, quod hunc floris aetatem per vestem ostendens perlucentem ad amorem incitasset. Eandem tenuitatem confirmat apud Suidam Nicostratus s. v. Ταραντινίδιον, mulierem leviter tangentem vestem rupisse asseverans; ex quo scriptore id quoque intelligitur, tarantinidia non certae formae fuisse vestes, sed omnes e pinna marina in Italia confectas hoc nomine esse appellatas, illo enim Nicostrati loco diadema, quod mulier ut insigne et imperii indicium gerebat in capite, indeque detractum collo circumdedit, tarantinidium vocatur. Ex Aristaeneti loco conjectandum, tarantinidium capiti non secus impositum fuisse ac καλύπτραν, ~~ita tamen ut nulla subter~~ esset vestis cf. Cuperi observv. III., 14. p. 320. (Traj. ad Rhen. 1670.), quare nec proprie ἱμάτιον vocari potest, sed instar ἱματίου est, ac propterea ab Athenaeo (vide supra) χιτῶνος nomine denotatum videtur, si quidem illo scriptoris loco vestes Tarentinas e pinna marina confectas intelligendas esse probari potest. Erat omnino Tarentinus amictus praelongus, ad malleolos usque demissus, quaedam induendi vestes ratio Athen. XIV., p. 622. b., ut recte dixisse videatur Socraticae epistolae IX. auctor: σύρειν ἐσθῆτας ἐκ Τάραντος, velamenta longa significaturus. Tarantinidia mulieribus praesertim in usu erant, λεπτὸν γυναικεῖον περίβλημα Eustath. ad Dion. Perieg. 376. cf. Hesych. Ταραντινόν, certe seriori tempore mollis iis luxuriabat feminarum vita Clearch. ap. Athen. XII., p. 441. Schw., maxime meretricia Lucian. dialog. meretr. VII., 2. Forster de bysso p. 78. sq. Petales audi querelas, quod vetustis detritisque Tarentinis vestibus amiciatur Alciphr. epist. I., 36. (cum notis Bergleri et Wagneri tom. I., p. 212. 215.), contra laudi fuit Phocionis uxori Tarantinidiis abstinuisse aliisque luxuriosis vestimentis. Ael. V. H. VII., 9. ibiq. intpp. Dixerim vero etiam Tarentinas vestes fuisse viris usu frequentes, adstipulante Athenaeo l. c., inprimis in conviviis et in saltatione. Ejusmodi ornatu indutum Agathoclem descripsit Polyaenus V., 3, 3. (v. ibi Masuic.): κροκωτὸν ἐνδὺς, Ταραντῖνον περιβαλόμενος ηὔλησεν, ἐκιθάρισεν, ὠρχήσατο. cf. Lucian. de calumn. non tem. cred. 16. Polluc. IV., 104. Athen. XIV., p. 622. b. Müller. Dor. tom. II., p. 343. A nobili Laconum simplicitate vestium suarum luxuria cum aliis Doriensium coloniis Tarentum longe recessit, quae in patria rarissima erant et serioris modo aetatis usu nota, διαφανῆ Λακωνικά Müller. p. 271., tam insano amore complexum, ut peregrinos Tarenti commoratos mox urbis luxuries corruptione inficeret. Deposuit igitur Laconicam vestem Cleonymus Diod. XX., 104, quemadmodum Acrotatus in Sicilia vestibus luxuriante Persa est factus. ibid. XIX., 71. Explicatur denique vestitu civium parum decoro, qui fieri facillime potuerit, ut Romanorum legatos ob

[2]) cf. Spanheim. ad Callimach. in Jov. 32. tom. II., p. 42. ed. Ernest. Limborum usum vetuere Syracusani. Athen. XII., p. 521. b. Cas.

togam maxime, qua illi σεμνότητος ἕνεκα aut verecundiae excitandae caussa induti Tarentum venerant, ludibrio cives habuerint. Dio Cass. fragm. Ursin. 145, 2. Perquam abhorrebat Romana gravitas a Tarentini populi levitate et petulantia.

6) Reliquus corporis cultus.

In reliquo, qui praeter vestes est, corporis cultu notabilem censeo capillorum apud Tarentinos ornatum. Comam enim nutriebant Tarentini sicut quondam Lacedaemonii et Thurii[1]) ac Melii et ceteri, quibus Laconica instituta placebant, ut habet Philostratus Apollon. III., 15, p. 106. ed. Olear. Idem VIII., 7, 6.: comam alere a Lacedaemoniis est derivatum. Abiit sane hic mos a Spartanis comam inde ab adolescentia demittentibus (de orig. Tar. p. 86.) ad Tarentinos colonos eo fortassis modo, ut a servis et plebe nobiliores homines coma demissa distingueret[2]). Eam religasse super verticem Spartanorum imitatos exemplum Müller. Dor. tom. II., p. 270. et mulieres et *viros*, probat nummus equitis imaginem exhibens ejusmodi insignem capillorum ornatu Winckelmann. opp. tom. V., p. 359.[3]), qualis in mulieris capite conspicitur apud Mionnet. Suppl. tom. I., p. 278. 280.[4])

Permirum accidit, apud eosdem Tarentinos alium morem fuisse receptum plane in contrarium abeuntem, quem ex Clearcho adnotavit Athenaeus XII., 441. Schw. (522. d. Cas.). Is enim ait vitarum libro quarto, Tarentinos rebus et potentiam auctos eo luxuriae et mollitiei progressos esse, ut totius corporis cutem laevigarent et hujus deglabrationis exemplum aliis omnibus praeirent. Adstipulatur sententiae Aelianus nat. anim. XIII., 27, qui Tarentinos et Tyrrhenos fugasse barbam picis usu tradidit, ut in hunc modum pro viris redderent mulieres. Equidem illud inventum, profectum ab Etruscis, per Messapios ad Tarentinos transiisse persuasum habeo. Theopomp. ap. Athen. XII., p. 518. b. Potuit eo consilio adhiberi thynnus aut torpedo et marinus pulmo, quorum idem est ac picis usus ad psilothra. Aelian. l. c. Plin. nat. hist. XXXII., 47. Ceterum Athenaei locus p. 522. d. non mentum solum sed etiam reliquas corporis partes laevigatas esse monstrat, summum profecto luxuriae indicium![5]) Spartani aliique Doriensium coloni, Byzantii, Rhodii, quorum leges tonsuram, quamquam frustra, vetuere, barba ornari sibi videbantur. Athen. XII., p. 565. c. d. Müller. Dor. tom. II., p. 269., ac Romam primi tonsores advecti sunt a. u. c. 454. Plin. VII., 59. Gell. III., 4.

Luxuriam praeterea adjuvabant unguenta, quorum ad usum frequentem Juvenalis (VI., 297.) *madidum* Tarentum referas, quum unctam dixerit urbem Sidonius V., 430.[6]) Splendido vestium ornatu ceterisque voluptatibus unguendi corporis cura quasi inhaeret, quamobrem Socraticae epistolae IX. auctor verba inter se junxit: *ἀλειφόμενοί τινι τῶν εὐωδεστάτων μύρων, καὶ σύροντες ἐσθῆτας μαλακὰς ἐκ Τάραντος.* Eadem quoque voluptas in balneo-

---

1) Nisi Thurium est, Laconicae terrae urbs. cf. Heynii opusc. tom. II., p. 174. 2) Nec tamen idem comas alendi mos a gentibus Tarento vicinis Dauniis et Peucetiis alienus erat, ex quo Graecam earum originem scriptores autumasse videntur. cf. Hesych.: Ἐκτόρειοι. 3) Winckelmannus equitem ipsum Taraatem heroem esse censuit, prudenter adsentiente Schachmanno ap. Rasch. lexic. tom. V., p. 1. p. 547. cf. Mionnet. Suppl. tom. I., p. 276. Doctissimo Fea comae ornatum perversae nummi descriptioni deberi persuasum erat. 4) Comparari potest tutulus, qui crinibus convolutis ad verticem matronarum Etruscarum conspicitur. Varro de ling. lat. VI., p. 90. Bip. Micali Italia tab. XV. LVII., 1. 5) Aliud contra de barbaris judicium est. Britanni totum corpus radebant praeter caput et labrum superius. Caesar. bell. Gall. V., 14. ibiq. Voss. Samnitibus eundem morem tribuit Theopompus ap. Athen. p. 518. b. et omnes dicit, qui ad occidentem habitant, barbaros picari et corpus radere. 6) Sic uncta Corinthus Juvenal. VIII., 113.; nescio tamen, an ad mollitiem in universum, neque ad unguenta, epithetum trahi possit.

rum [7]) amore Pyrrhi temporibus memorato Plut. Pyrrh. 16., quo Agrigentum flagrabat (Timaei fragm. p. 271. Göller.) atque Athenae (Xenoph. de republ. Athen. §. 10.), agnoscitur. Spartanis contra et unguenta et calida balnea erant in odio. Müller. Dor. tom. II., p. 269. 271. sq.

7) Res Venereae.

Quum universo corporis cultu non minus quam mensis Tarentini luxuriaverint, facile credo, exspectes, eos ad Corinthiorum (Müller. Dor. tom. II., p. 289.) aliarumque Doricae stirpis maritimarum civitatum exemplum in Venerem effusos fuisse. Matrimonia [1]) ab initio juncta cum mulieribus indigenis (Herod. I., 146. Niebuhr. hist. Rom. tom. I., p. 164. ed. II.) an ad Spartani moris a Müllero (Dor. tom. II., p. 280. sq.) egregie expositi similitudinem instituta fuerint, dubito, atque ita fuisse ab iis merito negabitur, qui notissimae de ignominiosa Partheniarum Tarenti conditorum origine narratiunculae fidem habeant. cf. de orig. Tarent. p. 23. sq. Magno ut contendam honore in Tarentinorum civitate affectas esse mulieres, persuadent mihi feminae Pythagoricae Tarentinae Jamblich. vit. Pyth. extr., suffragante amoris conjugalis exemplo [2]) ab Aeliano nat. anim. VIII., 22. subministrato. Is enim scriptor Heracleïdem narrat mulierem Tarentinam maritum non viventem solum diligenter coluisse, sed et mortuum, ita ut, posteaquam ille e vita excessisset, urbanas commorationes et domum, in qua mortuum ~~viderat maritum, adeo odisset, ut prae maerore~~ in sepulcrum habitatum se conferret, benevoloque animo deinde ciconiam sanaret. cf. Oppian Ixeut. I., 27. in paraphrasi Eutecnii. Sed Tarentinas mulieres non potuit non corrumpere vitae luxuries, quo spectare mihi videtur *τὸ Ταραντινόν* inter Thaidis, Aristagorae et Laidis medicamenta exhibitum a Philostrato epist. XL., p. 931. Olear., quod quale fuerit nescio, diversum procul dubio a veste Tarentina. v. Mercer. ad Aristaenet. I., 25. — Puerorum amor quin Tarenti usu receptus fuerit ad Spartanae disciplinae exemplum (*λακωνίζειν τὸ παιδικοῖς χρῆσθαι*. Apostol. XI., 73.), vix dubitari potest, magnopere vero dubitandum, num ita purum atque insontem quam patria istum amorem servaverint. Müller. Dor. tom. II., p. 290. sq. Cujus vestigium est apud Hesychium s. v. *ἐρώτιον* [3]), *ἐρώμενον* a Tarentinis *ἐρώτιον* vocatum esse affirmantem. Heracleae, quae est Tarentinorum colonia, eum fuisse amorem, Parthenii narratio VII testimonio sit. Novimus praeterea Theodorum quendam hominem Tarentinum, qui in exercitu Alexandri Magni pueros venales habuit, regi minime acceptus. Plut. Alex. 22. Foedum illud puerorum amoris vitium nisi ab Etruscis juvenum corpora in hunc usum laevigantibus eorumque consuetudine impense delectatis (Athen. XII., p. 518. a.) profectum, in Italia saltem propagatum atque auctum dixerim [4]).

8) Morum proprietas.

Satis jam disputatum est, ut viri mollis Tarentini, qualis fuit ille Philocharis demagogus, *ἀνόδιος καὶ περὶ πάσας τὰς ἡδονὰς ἀσελγής, ἀπὸ τῆς ἀκολάστου καὶ κακῶς δημοσιευ-*

---

[7]) Quorum multa ajunt exstare vestigia. Riedesel iter p. 206.

[1]) A pellicum consuetudine Pythagoras abduxit Crotoniatas. Jamblich. vit Pyth. 132. Quod retulit Joh. Juvenis antiq. Tar. IV., 3. de matrimonii ritu apud veteres Tarentinos nullo auctoris testimonio confirmatum inveni. *Οἰκοδεσπότου* in Tarentinis mentionem fecit Alexis. Pollux. X. cap. 3. [2]) Meminerim hoc loco Anthologiae epigrammatis tom. II. p. 171. (Analect. II., 187.), in quo Paula Tarentina maritum a caedis crimine testimonio suo liberat. — *Ὁ τάφος τῶν φιλούντων* (Val. Maxim. IV., 6, 3.) ad Romanam aetatem pertinet. [3]) Ad simile vel aliud flagitium referenda est Hesychii glossa: *ὀδάχα· καταπύγων*. Ad puerorum amorem spectant Leonidae Tarentini epigrammata. X. et XI. [4]) De aliis Tarentinorum voluptatibus et oblectationibus in capite de rebus sacris atque artibus oblata occasione dicendum erit.

θείσης ἐν παισὶν ὥρας ἐπικαλούμενος Θάϊς.[1] Appian III., 7, 1. Dion. Halic. antiq. XVII., 6, imaginem cogitatione nostra fingamus. Profecto pluribus de Tarentinorum luxuria edisserendum esset, dummodo Cratini fabula: Tarentini, qua procul dubio lepide is civium mores descripserat (Diog. Laert. VIII, §. 37. Suid. Ξενοφάνης. Meurs. bibl. Attic. opp. tom. II., p. 700.), aetatem nostram tulisset; nec tamen Cratinus, qui post Olympiadem LXXX floruit, Tarentinae lasciviae noverat fastigia. Sed inviderunt nobis fata alius quoque poëtae, qui mediae erat comoediae, Thuriis nati, ab Alexandrinis in canonem recepti, Alexidis fabulam: Tarentinos[2]), cujus fragmenta servavit Athenaeus[3]). cf. Petit. misc. V., 8. Fabric. bibl. Graec. tom. II. p. 406. sq. ed. Harl. Ruhnk. hist. crit. orat. p. 95. Sufficiant igitur, quae de Tarentinis scriptores alii per occasionem prodidere in tantum eorum res illustrantia, ut Ciceronem epist. ad div. VII., 12. per jocum exagitantem Trebatium, quem in Gallia Epicureum factum esse audiverat, exclamasse non miremur: quid tu fecisses, si te Tarentum et non Samarobrivam misissem! Ex quo auctoris loco simul intelligitur, Ciceronis etiam tempore deliciis suis et voluptatibus famosam fuisse Tarentinorum urbem, retentis nimirum Romano sub imperio antiquis civitatis legibus et institutis; neque haec sola servarunt, servarunt mores, disciplinam, linguam, quod praeter Tarentinos modo Rheginis et Neapolitanis Strabonis aetate obtigerat, ceteras enim Magnae Graeciae urbes ἐκβεβαρβαρῶσθαι (cf. Micali Ital. tom. III., p. 291. Wachsmuth. antiq. graec. I., 2, p. 420.) et reliquas Iapygiae urbes praeter Tarentum et Brundusium, viatorum commercio opulentum, in oppidulorum ordinem detrusas esse, ipse Strabo geographus testis est VI., p. 253. 281. Cas. (217. 293. Tzsch.). Flebile est memoratu, quod ex Aristoxeno apud Athen. XIV., p. 632. a. proditur: Posidoniatae, ante Graeci, in barbariem lapsi, mutatis voce et institutis festo quodam uno die ex iis, qui sunt in Graecia celebres, coëunt memoriamque refricant et priscorum nominum et consuetudinum antiquarum ac legitimarum patriae, lacrymatique et sortem suam ad invicem conquesti discedunt. cf. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 507. sq. Itaque, quid a tanto veterum morum interitu cum Rheginis et Neapolitanis Tarentinorum populum servarit, quaeritur. Caussam servatae a barbarie rei publicae nec αὐτονομίαν nec linguam Graecam, quam retinuere Tarentini, sed gymnasticae artis usum fuisse censuit Ignarra de palaestr. Neap. p. 94. sq. Gymnasium quidem habuit Tarentum Strabonis etiam aetate pulcherrimum. Strab. VI., p. 278. Cas., in quo exercitarentur juvenes ad Spartanorum exemplum in certas classes distributi auctoritatemque τοῦ βειλαρμόστου[4]) Hesych. s. v. ibiq. intpp., quem Spartanorum ἀγελάρχαις comparaverim, secuti; item Neapoli servata sunt Graecae disciplinae vestigia plurima, gymnasia, ephebia, phratriae, vocabula Graeca, quamvis cives essent Romani Strab. V., p. 246., gymnasium denique Rheginum notum ex Plinio nat. hist. XII., 3, post Dionysii prioris Syracusarum tyranni tempora institutum, eodemque modo τὸ πρυτανεῖον, in quo coenarentur hieronicae. Gruter inscript. latin. p. CLXXIV., 7. Nihilominus, quamvis verum sit, gymnasticam artem Graecae

---

[1]) Cui comparandus est notissimus ille ob luxuriam Smindyrides Sybarita, de quo vide auctores laudatos a Valckenaerio ad Herod. VI., 127. add. Diod. exc. Vatic. p. 11. Dind. ibiq. Maj. [2]) Quod argumentum fuerit Pacuvianae Tarentillae (Varr. ling. lat. VI., p. 101. Bip. Both. fragm. tragic. p. 143.) in promptu non est. Adscribitur a quibusdam Tarentilla aut Naevio aut Ennio. Osann analect. crit. p. 7. sq. Afranius poëta videtur scripsisse fabulam: Brundusinos. Both. fragm. comic. p. 161. [3]) Athenaeus IV. p. 134. a. 161. b. XI. p. 463. c. XIII. p. 587. b. cf. Polluc. X. cap. 3. [4]) Cum ἴλη sit turma equitum, si βειλαρμόσταν juvenes in equitando exercuisse dixeris, haud repugnabo. Juvenum classes ad artis gymnasticae usum institutas habes Crotone et Cyrenis. Müller. Dor. tom. II., p. 302. sq.

disciplinae propriam, in adolescentibus formandis summam, multum valuisse ad mores conservandos, non omnia ei possunt merito tribui. Croton enim inter omnes Magnae Graeciae urbes gymnastices laudibus clarissima Strab. VI., p. 262. Cas. tamen in barbariem decidit, nec constat, an cives hanc artem omnino neglexerint. Rem minime explicant gymnastice, *αὐτονομία,* lingua Graeca[5]), immo id ipsum explicandum est, quanam vi ab interitu servatae sint singulae illae Graecae disciplinae partes, e quibus *αὐτονομίαν* cedamus singulari Romanorum beneficio deberi, sed Romanae linguae usus ne ulli quidem urbi obtrusae expeti potius quam denegari a civitatibus solebat. Nihil igitur reliquum est, quam ut ingenium vere Graecum temporum cursu magis firmatum, ipsa vitae ratione magis excultum fuisse Tarenti, Neapoli, Rhegii quam in ceteris Magnae Graeciae urbibus asseveremus, adeo ut alienis moribus sibi ipsis perniciem allaturis diutius illae resisterent. Perditae quidem sunt luxuria Croton, Thurii, Metapontum, Tarentum, olim opulentissimae jam omnium desertissimae urbes, ut ait Dio Chrysost. tom. II., p. 12. Reisk., sed ignoscamus propter egregia multa hanc Tarentinis luxuriam, ignoscamus levitatem animosam stirpi impacatae Phalanthi (Sil. Ital. XI., 16. VII., 665.), quae naturae vitia compensavit generosis virtutibus, amore patriae[6]) ac libertatis, ingenti opificiorum sedulitate, humanitatis facta parens bonarum artium studio.

Sectio III.

Respublica Tarentina.

Populi luxuriosissimi quidem, sed ob eximiam industriam ac paratas exinde divitias clarissimi facti et potentissimi, civilia instituta quaenam fuerint, diligenter examinaturi haud levia ea et tenuia fuisse exspectantem in principio disquisitionis monemus, fieri non potuisse, quum in privati hominis aeque atque in populorum vita nullus sit firmus rerum status, sed aut ad summum floris fastigium properet ingenium humanum, aut ab eo recedat, quin diversa diversis temporibus fuerint civitatis instituta et leges. Apparet igitur, de illis recte disputari non posse, nisi, quod olim intellexit Theophrastus cf. Cic. de fin. V., 4, ad temporum diversas rationes respicitur; quare arcessito in temporum partitione discrimine ab ipsa civitatis forma quattuor distinguamus civitatis Tarentinae aetates, primam ab urbis origine ad bella Persica usque, imperium tenente principe cum optimatibus, alteram summi rerum floris, ad popularem rationem vergente republica, tertiam effrenatae post mortem Archytae plebis licentiae, quartam imperii Romani.

Aetas prima
ab urbe Tarentina condita usque ad bella Persica.
Olymp. XIX.[1]) — Olymp. LXXV.

De Tarentinorum re publica verba facturi desideramus imprimis Aristotelis et Theophrasti opera de civitatibus conscripta, ut enim ait Cicero de fin. V., 4, omnium fere civitatum non Graeciae solum, sed etiam Barbariae ab Aristotele mores, instituta, disciplinas, a

[5]) Cumae quum multa haberent Graecorum instituta Strab. V., p. 243., haud pari gymnasticae usu floruisse videntur; petierunt igitur permissum, ut publice latine loquerentur. Liv. XL., 42. [6]) Conferas velim Leonidae Tarentini poëtae epigrammata LV et C.

[1]) Cf. de orig. Tar. p. 45. atque in universum de hoc capite Joh. Juvenem de antiq. Tar. III., 4, pessime disserentem.

Theophrasto leges etiam cognovimus. cf. Niebuhr. hist. Rom. tom. I., p. 14. sq. edit. II. Nec Aristotelem ignoramus scripsisse de ipsis Italiae civitatibus, in quibus uti de Locris[2]) dixerat (vindicatus a Timaei conviciis per Polybium XII., 5. sq.) Arist. rer. publ. reliq. ed. Neumann p. 134. sq. et de Crotone ibid. p. 121., sic dixit de Tarentina re publica. Pollux IX., 80. Neum. p. 150. Qui Aristotelis liber quum sit deperditus, ex auctorum fragmentis singulis civitatis Tarentinae descriptio componenda est, aliqua habita rerum gestarum ratione, ut inde colligamus vero proxima, de quibus altum apud scriptores silentium est.

Admodum pauca de antiquissima Tarentinorum conditione prodita sunt. Quum Spartanorum partem colonos Lacedaemonios Tarentum comitatam esse constet cf. de orig. Tarent. p. 43. sq., ab illis civitatem eo, qui convenit optimatium imperio, modo constitutam esse fit probabile, quamvis pluribus eam Spartanorum legibus caruisse intelligamus. Hegewisch. de colon. graec. p. 108. sq. — Herodotus III., 136. Aristophiliden τῶν Ταραντίνων βασιλέα memoravit. *Reges* procul dubio patrio more Tarentini coloni, ut aliae Doriensium civitates Müller Dor. tom. II. p. 108. sq., sibi creavere, nec magis quin reges Tarentini ad Spartanorum exemplum sese gesserint cf. Carducci ad Aquin. delic. Tarent. p. 59, dubitandum est, ut primos eos potius fuisse inter optimates [3]) quam summa omnium rerum potestate praeditos existimare possis. Etenim regia apud Dorienses potestas translata ex aetate heroica Spartae in seriora quoque tempora perduravit, quoniam mite erat imperium et valde coërcitum. Aristot. polit. V., 9. init. Müller Dor. tom. II. p. 97. sq. Tittm. de polit. graec. p. 119. sq. Quem regem Herodotus commemoravit, is vixit ante bella Persica, nam ipso jubente Persae sunt comprehensi, qui cum Democede medico in Italiam speculaturi venerant; sed statuendum est, fuisse reges apud Tarentinos inde ex ipsa urbis conditae aetate eosque majori fortassis potestate praeditos ab initio quam serius cf. not. ad. Aquin. p. 58, quamquam, ut Phalanthi herois historia probare videtur, non sine civium discordia munere suo functos. cf. de orig. Tar. p. 51. sq. Ipse ille Phalanthus primus Tarentinorum rex jure appellari potest (*regnata* Laconi rura Phalantho. Horat. Od. II., 6, 12.), cujus deinceps posteri tenuerint imperium; nec tamen, ut fecit Müllerus Dor. tom. II. p. 109. 175., huc retulerim Phalantiadas apud Stephanum Byzantium s. v. Ἀθῆναι memoratos, sed quod Phalanthus octavus vocatur ab Hercule (de orig. Tar. p. 6.) id, nisi proverbii instar dictum est Dio Cass. LXXIX., 10, quandam indicare videtur regiae stirpis genealogiam, atque ipsi honores Phalantho mortuo decreti regem eum fuisse ostendunt. cf. de orig. Tar. p. 52. collato Müllero Dor. tom. II. p. 98. Ceterum ne ullam quidem video caussam, ob quam τὸν βασιλέα apud Herodotum l. c. de magistratu intelligendum esse dicam, ut voluit Heynius opusc. tom. II. p. 222, neque haec est Mazochii sententia ad tab. Heracl. p. 97. verum regem, ut Spartae fuerunt, accipientis; nam ut hoc largiar, ducem βασιλέα vocari posse, quemadmodum Hamilcar ὁ Καρχηδονίων βασιλεύς vocatus est Herod. VII., 165. cf. Isocrat. in Nicocl. Oratt. Attic. tom. II. p. 34. Bekk., satis tamen constat inter omnes de regibus in Lacedaemoniorum coloniis, v. c. in Thera insula Herod. IV., 150, ubi optimatium quoque imperium erat Aristot.

---

[2]) De quibus etiam scripsisse videtur Theophrastus. Polyb. XII., 12, 5. Hunc de Tarentinis exposuisse pluribus, ea demonstrare videtur narratio, quam protulit ex Theophrasto Plutarchus quaestt. graec. 42. De scriptoribus πολιτειῶν, νομίμων etc. adi Heynium opusc. acad. tom. II., p. 280. sq. Neumann prolegg. ad fragm. Aristot. p. 21. sq. [3]) Ejusmodi reges, qui summi erant magistratus, Italiotae vocabant βάννας, ut liquet ex Hesychio s. v.; quae vox idem est, quod ἄναξ praeposito digammate. cf. intpp. ad Hesych. l. c.

polit. IV., 3. p. 118. Göttl. et Cyrenis. Boeckh ad Pind. explic. p. 265. sq. adde alia apud Boeckhium p. 234. init. Sunt autem hujusmodi reges plane diversi et alieni a regibus sive tyrannis illis, qui seriore aetate, exortis civium factionibus, perturbabant res publicas, ut Telys Sybaritarum civitatem Olymp. LXXXIII. Diod. XII., 9. Herod. V., 44. Heyn. opusc. II. p. 135 [4]), Menedemus Crotoniatarum, tempore Agathoclis Diod. eclog. XXI., 4. et jam antea Clinias quidam Dion. Halic. antiq. XIX., 4. Heyn. opusc. II. p. 190, alius Heracleensium civitatem secundum Parthenium cap. VII. (ex Phania Eresio [5]) narrantem, aut Metapontinorum secundum Plutarchum amator. cap. XVI., Nearchus vel Diomedon Veliensium cf. Münterum in libro de Velia alia etiam tyrannidis in Italia exempla recensentem. p. 33; notissimi denique tyranni Rheginorum Heracl. Pont. polit. 25 et Agrigentinorum (ibid. 26) in Sicilia tyrannorum nutrice. Cic. in Verr. V., 56. Isidor. orig. XIV., 6, 33. ed. Areval. Istius generis reges sive tyranni Tarenti nunquam exstiterunt, quos qua ratione cives vitaverint, infra exponetur.

Alterum, quo Tarentini regnum Spartanum imitati esse videntur, *ephororum* censeo institutum. Verum quidem est, nullo comprobari testimonio directo, ephoros fuisse Tarentinos, sed Heracleae in Tarentinorum colonia fuisse ipsis tabulis Heracleensibus certiores facti sumus. p. ~~210. 212. ed. Mazoch., quae urbs quin ephoros~~ ad metropolis exemplum sibi constituerit, nullus dubito. cf. Mazoch. p. 97. 133. Heracleae ephororum sive sorte sive ordine princeps — videntur enim ad morem Lacedaemoniorum fuisse quinque Tittm. de polit. graec. p. 107 — anno dabat nomen, documentis praeponi solitum. Heyn. opusc. II. p. 247. Tittm. l. c. p. 497. Simili ratione constituta fuisse omnia apud Tarentinos, facile ac merito conjicere nobis videmur [6]). Accedit, quod in pluribus Lacedaemoniorum coloniis inveniantur ephori cf. Corsini fast. Attic. tom. II. p. 455. Müller Dor. II. p. 112, quamquam id non Spartanorum proprium sed vetus Doriensium institutum ipso Lycurgo antiquius dixerim;

---

[4]) Apud Jamblichum de vit. Pythag. XVII., 74. Κύλων quidam memoratur Συβαριτῶν ἔξαρχος. [5]) Nimirum ex libro ejus inscripto: τυράννων αναίρεσις. cf. Plehn. Lesb. p. 215. sq. [6]) Tarenti fuisse ephorum eponymum (not. ad Aquin. p. 60.), ut Lacedaemone Tittmann. p. 115. et in Thera insula Müller. Dor. II., p. 112, commonstrant nomina in nummis posita, quae sunt ephororum, ut Spartae Tittmann. p. 116. Sic ΥΝΥΑΝΙΩ. Mionnet. tom. I., p. 138. ΝΙΚΟΚΡΑΤΗΣ. ibid. ΝΕΥΜΗΝΙΟΣ. p. 139. Suppl. tom. I., p. 280. ΟΛΥΜΠΙΣ. ⊢ΗΡΑΚΛΗΤΟΣ. Mionnet. p. 142. ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΗΣ. ibid. Suppl. p. 285. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΗΣ. Mionnet. p. 142. Suppl. p. 286. ΣΩΠΥΡΙΩΝ. p. 143. ΦΙΛΗΜΕΝΟΣ. p. 144. ΦΙΛΩΤΑC. p. 146. ΞΕΝΟΚΡΑΤΗΣ. ibid. ΛΥΚΙΝΟΣ. p. 147. ⊢ΙΣΤΙΑΡΧΟΣ. Suppl. p. 280. ΑΓΑΘΑΡΧΟΣ. p. 282. cf. p. 283. nr. 570. 571. ΑΡΙΣΤΙΩΝ. p. 284., quod nomen nescio an idem sit atque ΑΡΕΘΩΝ apud Mionnet. p. 141., aut ΑΡΙCΤΙΩΝ p. 145. aut ΑΡΕΦΩΜ. Eckhel. D. N. I., p. 149.; terminatio ΟΜ est nominum gentilium deorum et hominum Eckhel. p. 124. sq. Porro ΑΡΙΣΤΟΚΛΕΟΣ. Mionnet. Suppl. p. 284. 285. ΔΑΙΜΑΧΟΣ. p. 285. ΔΕΙΝΟΚΡΑΤΗΣ et similia nomina fortasse èrrore orta. ibid. ΙΛΟΚΙΩ. p. 286. ΙΝΙΚΟΤΤΑΣ. ibid. ΚΡΑΤΙΝΟΣ. p. 287. ΛΥΚΩΝ. p. 288. cf. p. 287. nr. 596. 597. ΞΗΝΩΦΙΛΑ. p. 288. ⊢ΙΠΠΟΔΑΜΟΣ. ibid. ΣΗΡΑΜΒΟΣ. ibid. ΘΥΑΡΕΩΝ ut videtur p. 290. ΦΙΛΙΑΡΧΟΣ. ibid. ΦΙΛΙΣΚΟΣ et ΦΙΛΟΚΛΗΣ. p. 291. ΦΙΛΩΝ. p. 292. adde Eckhel. D. N. I., p. 148. sq. Multa magistratuum nomina decurtata silentio his praeterimus, item alia pauca, quae sparsim occurrunt apud Raschium minus recte, ut videtur, lecta. Hos nummos non pertinere ad στρατηγοὺς sequentis aetatis vel inde colligo, quod Archytae nomen nusquam legitur, cujus nec caput est in nummis cf. Eckhel. I., p. 149., nec Milonis in nummis Crotoniatarum, ibid. p. 173. Uvam, tripodem, tridentem etc. in angulis nummorum magistratuum insignia esse male censuit Aquini interpres p. 59.

recte enim animadvertit Müllerus Aegin. p. 158, alioquin Cyrenis in colonia Therinensi inveniri ephoros non posse, quos illic fuisse testatur Heraclides Ponticus polit. 2., si quidem Lacedaemoniorum in Theram deductio ipsius Lycurgi aetate multo prior erat. Raoul-Rochett. hist. colon. graec. tom. III. p. 249. sq. Aeginetas autem ephororum nomen a Spartanis adoptasse, observavit Müllerus l. c. — Tarentini, ut regem, sic ephoros ab initio reipublicae habuisse eosque iis etiam retinuisse temporibus videntur, quibus ad plebis imperium cives inclinabantur; quam rem Heracleensium ephori, quoniam Heracleam Olymp. LXXXVI. demum conditam esse novimus, apprime probant. Praeterea ephororum institutum eo quoque confirmatur, quod ante contendimus, reges Tarentinorum fuisse potestatis admodum coërcitae; nolumus tamen omnia conjecturis assequi, quae ad ephoros pertineant, quum in hac re solum Spartanae civitatis exemplum intuendum sit, cujus quales fuerint diversis aetatibus ephori, egregie expositum est a Müllero Dor. II., p. 111. sq. cf. Tittmann. p. 104. sq. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 145. sq. Verum id nescio, an tantam nacti sint apud Tarentinos ephori potentiam, quantam Spartae seriori tempore; res parum probabilitatis habet in civitate maritimo commercio ac mercatura victum sibi parante.

Adjungimus quae de γερουσίᾳ sive βουλῇ, ut magis in universum dicamus cf. Müller. Dor. II., p. 91., colligi possunt, quippe quae maximi erat momenti in Graecorum civitatibus. *Senatum* fuisse apud Tarentinos argumento est inscriptio, qua Neptuni anathema positum a senatu populoque Tarentino memoratur cf. Muratori 1084, 3; idque eo minus mirum, quum senatum magistratum omnino necessarium in aliis quoque Doriensium civitatibus inveniamus, apud Lacedaemonios eorumque colonos Tittmann. p. 117. sq., apud Cretenses Neumann Cretica p. 83. sq., Argis Herod. VII., 148., sed in insula Thera seriori demum tempore. Tittmann. p. 410. Qua civitatis aetate senatus institutus sit, pro certo affirmare non ausim; quidni antiquissimum eum esse propterea conjicias, quod ipse Lycurgus Spartanorum γερουσίαν constituisse dicitur? Herod. I., 65. Plutarch. Lycurg. cap. 26. Plura de senatu[7]), ubi ad comitia perventum fuerit, edisserentur; sed alia forte proponatur quaestio, utrum prytanes apud Tarentinos — memoratur enim πρυτανεῖον Dionysii minoris Syracusanorum tyranni tempore apud Athenaeum XV., p. 700. d., — conjuncti cum senatu fuerint, nec ne; de qua re aptius dicetur in periodo altera inter ea, quae ad ipsum populi Tarentini statum pertinent.

Unum est antiquissimum Tarentinorum institutum hoc loco memorandum, *servos* dico. Mancipia fuisse apud veteres Tarentinos colligitur e Stephano Byzantio s. v. *Χίος*, qui Chios tradidit primum famulis usos esse, ut Lacedaemonios helotis, Argivos gymnesiis, Sicyonios corynephoris, Italiotas Pelasgis[8]) et Cretenses δμωΐταις (legendum: μνωΐταις). Elucet simul ex loco isto, veteres Italiae incolas non ei hominum generi comparandos esse, qui περίοικοι vocabantur, liberi quidem sed tributum pendentes, verum duriorem eos serviisse servitutem, ut servi jure dicantur. Erat hujusmodi servitus in civitatibus Graecorum plerisque, maxime Doriensium, qui victores peregrinas terras ingressi sunt. cf. Ruhnk. ad Tim. p. 212. Tittmann. p. 261. sq. Müller. Dor. II., p. 52. sq.; nec secus esse poterat apud

---

[7]) Magnopere fallitur Heynius opusc. II., p. 223., quem Müllerus Dor. II., p. 177. secutus esse videtur, quum sibi Tarentinorum senatum deprehendere visus sit apud Livium VIII., 27., cujus verba ad Lucanorum senatum spectare intellexit Drakenborchius. [8]) De Pelasgorum ditione vide Niebuhrium hist. Rom. tom. I., p. 61. ed. II., ad quos referri possit id, quod tradidit Plato de legg. VI., p. 777. (p. 461. Bekk.) de piratis περιδίνοις ex servis factis ipso philosophi tempore, ut monstrat participium γιγνομένων. cf. Athen. VI., p. 267. ex Malaco de servis Samiorum rebellibus. Müller. Dor. II., p. 176.

colonos in Italia Graecos, quibus fere omnibus populi devincendi essent numerosi civitatesque satis opulentae, ut de Tarentinis constat. cf. de orig. Tarent. p. 49.; recensuit alia exempla Micali Italia tom. I., p. 232. sq. Quare quamvis non diserte traditum sit apud auctores, facile tamen arbitror, servos sibi subjecisse colonos Tarentinos veteres regionis suae incolas[9]); atque hi erant Iapyges illi Tarentinorum hostes, quos eorum helotas factos esse stipulatur Micali tom. III., p. 181. sq. Sententiam id comprobare videtur, quod apud Athenaeum XII., p. 525. (448. Schw.) Clearchus retulit, ad cutem usque tonsos et lugubri veste indutos vivere Iapyges, qui tamen scriptor hanc censet impietatis eorum poenam, quum potius servitutis sit indicium[10]), nisi respicitur agrestis quidam hominum cultus; etenim agrorum Tarentinorum partem haud dubie colebant Iapyges[11]), ut Spartanorum helotes, fortasse non sine suo quodam fructu, ita ut ex hac quoque parte eluceat, qua ratione ad tantum floris fastigium agricultura Tarentinorum pervenerit. cf. Müller. Dor. II., p. 35. sq.

De multitudine denique servorum Tarenti quae fuerit, certi nihil est, quod statuas. Livius quidem XXVII., 16. a Fabio millia triginta servilium capitum captos esse Tarenti retulit, sed haec verba non eo modo intelligenda esse, ut Fabium e servis cepisse triginta millia dicas, verum potius in servitutem redegisse ac vendidisse tantam Tarentinorum hominum copiam confirmat Plutarchus Fab. 26.: ἀπέθανον δὲ πολλοὶ καὶ τῶν Ταραντίνων, οἱ δὲ πραθέντες ἐγένοντο τρισμύριοι. Fuisse venditos XXV millia aut alio fonte usus tradidit Eutropius III., 9. aut facili librariorum errore, Plutarchus autem ante oculos Polybium habuit, a Livio quoque inspectum. Heeren de font. Plutarch. p. 121. Perquam probabile est permagnum Tarenti fuisse servorum Iapygum numerum[12]), quemadmodum in civitatibus opificiis ac mercatura claris esse solebat. Athenarum exemplum instar omnium est, in quibus servos liberorum numerum quadruplo superasse computavit Boeckhius oecon. Athen. tom. I., p. 39. sq., quare Tarenti fuisse ducenta millia summi floris tempore a probabilitate haud recedit, neque haec nimia esse testantur ea, quae de Corinthiis atque Aeginetis prodita sunt. Timaei fragm. VI., p. 211. Göller. Müller. Aegin. p. 128.

Aetas altera

a bellis Persicis usque ad arcessitos duces extraneos.

Olymp. LXXV. — Olymp. CX.

Mutata est rei publicae forma paullo post bella inter Graecos et Persas gesta, quum enim hucusque πολιτεία fuisse videatur, jam abiit in populi imperium, cujus mutationis caussam exhibuit Aristoteles polit. V., 2. Göttl. nobilium multos ab Iapygibus in celeberrima

---

9) Perioecos exstitisse eo, quo urbem veterem Partheniae expugnarunt tempore, quales Cyrene habuit Müller. Dor. II., p. 63. sq., vehementer dubito. Brundusium enim cesserant veteres incolae, Iapygum parte in servitutem redacta; explebat περιοίκων ordinem ipse qui formabatur Laconum multitudine populus. Siridis περιοίκους apud Athen. XII., p. 445. Schw. noli premere. 10) Comparandum quod de κατωνακοφόροις (Theopomp. et Menaechm. ap. Athen. VI., p. 271. d.) apud Sicyonios e Polluce VII., 68. liquet, Sicyoniorum tyrannos, sicut in Attica Pisistratidas, homines agrestes sed libertatis amantiores vili et contempto vestimento, cui pellis ovina subsuta esset, insignes fecisse, ut urbem eos puderet frequentare. Similia constant de helotis. Müller. Dor. II., p. 40. sq. 11) Conferas velim narratiunculam de servis Archytae agrum negligenter colentibus apud multos auctores repetitam. 12) Multos Archytas servos habuit. Aelian. V. H. XII., 15. Athen. XII., p. 519. b. Ingenui homines facta servorum oppositione a Tarentinis ἀνθέται vocati esse videntur, dummodo recte scripserit Hesychius s. v. Servae dicebantur δαναιέδαι. Hesych. s. v.

illa pugna Olymp. LXXVI., 4. (Herod. VII., 170. Diod. XI., 52.[1]) interemtos, ita ut major inde ex eo tempore potestas populi exstiterit, quemadmodum et Argis et Athenis factum esse idem auctor confirmavit. Apparet simul ex Aristotelis loco, priori jam aetate rem publicam ad optimatium imperii normam constitutam sensim populari rationi appropinquasse, quia πολιτείαν[2]) κατ' ἐξοχήν Aristoteles eam vocavit. Müller. Dor. II., p. 176. Wachsmuth. antiq. graec. I., 1. p. 179. Sed ut omnino id concedam, quod de mutatae civitatis caussa dixit auctor gravissimus, interemtum tamen nobilium numerum mutandae reipublicae copiam magis fecisse quam veram caussam fuisse contenderim. Etenim circa tempus bellorum Persicorum[3]) pleraeque Graecorum civitates adaucta populi vi ac potentia ad ejus imperium declinabantur, deinde quum ex populo viri singuli magnas opes sibi paravissent, divitiae citius quam nobilitas ad magistratus capessendos viam aperuere, sic orta τιμοκρατία[4]) sive πλουτοκρατία facilem in δημοκρατίαν trajectum dedit. Hegewisch. de colon. graec. p. 107. sq. Atque eodem ferme modo rem processisse apud Tarentinos persuasum habeo; efflorescente civitate cum agricultura et opificiis tum mercatura, postquam orta est ejusmodi reipublicae forma, quam πολιτείαν Aristoteles vocare solet, a τιμοκρατία paene diversa Ethic. ad Nicom. VIII., 12. (10. ed. Zell.), adaucta deinde populi multitudine, marinae res plebis imperio favere coeperunt. Quod ut verum esse probant pleraeque Graecorum coloniae, quae navalis rei studio clarae imperium constituere penes populum, apprime probat ipsum Tarentum, cujus maximam civium partem piscatui navasse operam docuit Aristoteles polit. IV., 4.[5]) Itaque Tarentinus populus, quum periisset nobilium multitudo occasione usus imperium sibi vindicavit, quemadmodum Syracusis post reportatam populi viribus et auctoritate de Atheniensibus victoriam e πολιτείᾳ facta est δημοκράτεια. Aristot. polit. V., 3. Göttl. Mox plura civitatis instituta mutata sunt.

Quum summa rerum potestas in manus populi cessisset, penes hunc in *comitiis* de omni re fuisse arbitrium merito conjeceris; sic Spartae fieri ipse Lycurgus voluerat. Plutarch. Lycurg. 6., atque sic Heracleae fuisse cognoscitur e tabulis Heracleensibus p. 145. ed. Mazoch.: τῶν Ἡρακλείων διαγνόντων ἐν κατακλήτῳ ἁλίᾳ. Nomen fuit comitiis Tarentinis ἁλιαία[6]) Hesych. s. v., ut apud Epidamnienses. Arist. polit. V., 1. (ubi glossa male exponit de heliaea Attica p. 390. Göttl.). Heracleensium novimus ἁλίαν κατάκλητον, calata comitia

---

[1]) Eodem tempore Syracusis oppressus est ordo τῶν γεωμόρων. Müller. Dor. II., p. 157. [2]) Quae est mixta civitatis forma ex aristocratia et democratia. Vide de hac voce Aristot. polit. III., 5. Göttl. Heyn. opusc. II., p. 221. Πολιτείαν ab ὀλιγαρχίᾳ et δημοκρατίᾳ distingui docet Aristoteles polit. V., 3. [3]) Quo in Magna Graecia Pythagoreorum societas optimatium imperio favens deleta est. Esse quendam nexum inter mutatas civitatum formas et Pythagoreorum insectationem e Polybio II., 39. perspicitur, sed ad Crotonem magis aliasque Italiae urbes quam ad Tarentum pertinere haec videntur. cf. Müller. Dor. II., p. 180. sq. Ritter. hist. philos. Pythag. p. 45. sq. adde Niebuhr. hist. Rom. tom. I., p. 165. sq. ed. II. Legimus tamen apud Diogenem Laertium VIII., 40., Tarenti Pythagoreos quum vellent ἀντιπολιτεύεσθαι τοῖς προεστῶσι crematos esse. [4]) Qualis erat apud Rheginos. Heracl. Pont. polit. 25. et in πολιτείαις, quae vocantur Chalcidicae. [5]) Locus sic habet: πολλαχοῦ πολύοχλα (τὰ τοῦ δήμου εἴδη), οἷον ἁλιεῖς μὲν ἐν Τάραντι καὶ Βυζαντίῳ, τριηρικὸν δ' Ἀθήνησιν, ἐμποριкὸν δὲ ἐν Αἰγίνῃ καὶ Χίῳ, πορθμικὸν ἐν Τενέδῳ. Priores civitates tres marinis rebus insignes utebantur populari imperio. Tittmann polit. graec. p. 494. 400. sq. 143. sq., Chii seriori tempore. ibid. p. 436. De Tenedo certi nihil habeo. Aeginae πολιτεία fuit. Müller. Aegin. p. 133. [6]) Populi Tarentini concio Appiano III., 7, 2. simpliciter τὸ κοινόν dicitur; alioquin πανήγυριν vocabant Tarentini γραιβίαν sive γραιτίαν. Hesych. s. v.

Schömann. de comit. p. 29. tab. Heracl. p. 154. (ibiq. Mazoch. cf. p. 214. 260. et indicem p. 281.), quod nomen in usu erat non modo Spartanis Herod. VII., 134., verum aliis etiam Doriensibus. Müller. Dor. II., p. 86. Duplicia an Tarentinis fuerint comitia, majora ac minora, ad exemplum Spartanorum Tittmann. de polit. Graec. p. 99. sq. Müller. l. c. p. 87., quoniam ne ullum quidem est rei vestigium, pro certo non affirmaverim, nec tamen propter insignem populi Tarentini multitudinem res caret probabilitate; contra quin fuerint comitia inde ex prima civitatis aetate non dubito, sed augebatur tempore eorum auctoritas. Penes populum stetisse disceptationem de rebus bellicis ex iis, quae de initio belli inter Pyrrhum et Romanos gesto certatim tradiderunt auctores plurimi, luculenter apparet, nec minus probat historia Acrotati Diod. XIX., 70., populo ut suffragio auxilia mittenda decerneret persuadentis. Solebat in comitiis populus Tarentinus peregrinarum gentium accipere legatos, ibique partem magistratuum videtur optione sua elegisse. Aristot. polit. VI., 3. Senatum tamen de rebus, quae disceptandae populo proponerentur, cepisse *προβούλευμα,* etsi haudquaquam a probabilitate abhorret, e Livio VIII., 27. non eo modo liquet, quo visum est Heynio opusc. II., p. 223., accedente Müllero Dor. II., p. 177.; erat fortasse senatus, plebis concioni temperare. E Theophrasto et Apollodoro apud Plut. quaestt. graec. 42. populum tulisse suffragia *χειροτονίᾳ* adnotandum est, solebant enim viri praestantiores (v. c. *οἱ στρατηγοί*) populo ~~aliquid proponere, quod is aut probabat aut~~ improbabat (*ἀπεχειροτόνησε*), legem perlatam (*δόγμα κύριον γενόμενον.* Plut. Pyrrh. 13.) caduceator[7]) deinde enuntiabat, quod *ἀπαρτύειν* vocaverunt. Hesych. s. v. Ad rei publicae Spartanae exemplum haec omnia constituta sunt. Müller. Dor. II., p. 88. sq. Tittmann. p. 89. sq. Verum de loco concionis quaerentibus Tarentina comitia a Spartanorum comitiis discrepuisse elucebit; etenim concionem hi convocabant sub dio inter Babycam pontem et Cnacionem fluvium Plut. Lycurg. 6., postea *ἐν σκιάδι* Pausan. III., 12, 8., Tarentini in theatrum, in quod deductus est Postumius Romanorum legatus, in quo sedebant cives adremigante classe Romana, denique ubi verba fecit Meton. Sic constat de serioribus rei publicae temporibus, priori aetate quo loco populi conciones fuerint, in promptu non est; sed nihil mirum, electum esse ad comitia habenda theatrum, in quo hominum multitudo commode sederet. Servabant istum morem Graecorum haud pauci, Agrigentini Frontin. strateg. III., 2, 6., Syracusani Corn. Nep. Timol. 4. Justin. XXII., 2, 10., Ennenses Liv. XXIV., 39., Arcades Xenoph. Hellen. VI., 5, 7., Antiochenses Tacit. hist. II., 80.[8]) cf. Dorvill. ad Chariton. p. 289. (ed. Amstel. 1750); in theatris leviora quoque supplicia sumebantur. Dorv. l. c. p. 293.

Postquam de populi Tarentini comitiis expositum est, pauca de ejus *partitione* idoneo loco jam addi poterunt. Ac nihil quidem de hac re aperte apud veteres scriptores proditum est, sed in tres tribus divisio populi apud plerosque Doriensium invenitur Müller. Dor. II., p. 75. sq. Boeckh. ad Pind. explic. p. 234., idcirco Cyrenis eam a Demonacte Mantineensi institutam esse apud Herodotum IV., 161. legimus. Tarenti an praeter illas quarta tribus accesserit, ut aliis locis factum est, nec proditur memoriae nec comprobari potest. Müller. l. c. p. 77. Heracleenses tabulae monstrare divisionem populi videntur in tribus et curias, *φυλὰς*[9]) *καὶ ὠβάς,* videlicet triginta cf. Mazoch. p. 148. sq., quod institutum Hera-

---

[7]) Caduceatoris venerabilis simulacrum in nummo Crotonis invenitur. Eckhel. numm. vett. anecd. p. 44. tab. IV. nr. 1. [8]) Unde explicatur Juvenalis locus X., 128. Cicero concionem populi theatrum vocat. Ernesti clav. Cicer. s. v. theatrum. [9]) *Φυλὰς* Thuriis etiam habes. Ignarra de phratr. p. 70. sq.

clea Tarento procul dubio petierat, singulari observato more certis quibusdam signis unam quamque curiam distinguendi. Heyn. opusc. II., p. 247. Apparet in hac quoque re Spartanorum exemplum (Tittmann. p. 134. sq. Müller. Dor. II., p. 78. sq.) secutos esse et Tarentinos et Heracleenses, quod quo certius constat, Tarentinos colonos magnam partem fuisse e Laconum numero, tanto magis offendit. Colligas igitur, Doriensium mores observatos et amicitiam populi Tarentini cum Spartanis junctam exercitamque Spartanae factionis in urbe dominatum haud dubia ratione indicare; quare neque hoc negaverim, plures fuisse, quales Spartae erant Müller. Dor. II., p. 83. sq., inter cives Tarentinos honorum gradus[10]). Id certe liquet, exstitisse nobiliorum hominum genus magna ex parte in proelio cum Iapygibus commisso occisorum Aristot. polit. V., 2. Müller. l. c. p. 175. sq., qui aut equitum ordinis aut senatorii essent. Si conjecturae indulgendum est, nobiliores fuisse Spartanae, majorem populi multitudinem Laconicae originis dixerim, nec tantae hominum multitudini arbitror concessam esse civitatem, quantae in Sybaritarum urbe (Diod. XII., 9.) Achaicae stirpis colonia, hoc ipso remedio, ut quidam perhibent[11]), insigniter aucta ac florente. Micali Italia tom. III., p. 145. Fuisse tamen apud Tarentinos *ξένους* permultos, eosque vocatos vulgo *ἀστυξένους*[12]) Hesych. s. v., ob Agrigentinorum exemplum colligo. Diod. XIII., 84. Ceterum facile unusquisque intelliget, omnes populi divisiones multum valuisse et ad comitiorum habendorum ordinem et ad magistratuum delectus instituendos; contra seriori aetate, quum majora in dies plebis potestas incrementa caperet, sensim debuisse evanescere ejusmodi ordinum discrimina.

A populo transimus ad *magistratus*. Quum olim reges fuissent magistratuum summi, horum post bella Persica dignitas abolita esse videtur, nullum enim memoratum videmus Tarentinorum regem. Diutius, quod supra adumbravimus, manserunt ephori, non quidem eo consilio, ut coërcerent vim magistratuum ipso populo in comitiis congregato obnoxiorum, verum qui alia multa perpetrarent rei publicae negotia. Senatu quoque retento abiit regum potestas, sicut Romae ad consules, Tarenti ad eum magistratum[13]), quem *στρατηγὸν* vocatum annuo imperio secundum leges cives creare solebant. Aristoxen. ap. Diog. Laert. VIII., 79. Mahne diatr. de Aristox. §. 15. cf. Villoison anecd. I., 74. Tres innotuere Tarentinorum *στρατηγοί*, quorum primum Dinonem censeo, memoratum a Theophrasto ap. Plutarch. quaestt. graec. 42., unde eum nisi ante certe non multo post Archytam vixisse liquet, quoniam qui ejus mentionem injecit Theophrastus circa Olympiadem CXIV floruit. Diog. Laert. V., 36. Erat Dino ille vir bonus *ἐν τοῖς πολεμικοῖς*, simplex in rebus civilibus, cujus sententiam quum quondam populus abjecisset, dextram porrigens haec, inquit, melior est, et vicit minoris numeri pars. Alterum, cujus nomen servatum est, imperatorem laudatissimum habemus illum Archytam, quem dignitate sexies aut septies functum esse novimus (Diog. Laert. VIII., 79.) circa Olympiadem centesimam, quare dixit recte Strabo VI., p. 291. Tzsch. per longum tempus urbi eum praefuisse, *τὴν Ταραντίνων πόλιν καλῶς καὶ φιλανθρώπως*

---

10) Quum Partheniae Tarenti conditores essent ex ὁμοίοις Spartanorum Aristot. polit. V., 6., quidni Tarenti censeas ὑπομείονας quoque fuisse? 11) Ut hoc largiar, illud etiam affirmo, Doriensium colonias, si tardius effloruerunt, tardius in perniciem ruisse quam Achaeorum civitates. 12) Talis fortasse fuit *Ἄγνων Οἰανθεύς* Lucanorum victor. Leonid. Tar. epigr. 23. Adde de ordinum diversitate in civitatibus Graecis Italiae Niebuhr. hist. Rom. tom. I., p. 165. ed. II. 13) Et quidem sine civium turbis, quum enim regia potestas ab initio admodum coërcita fuisset, vix quisquam exstiterat tyrannus, nec malis, quae tyranni invehunt, laboravit civitas.

διοικήσαντα. Demosth. orat. erot. p. 1415. Reisk. (p. 663. Bekk.). cf. Wachsmuth. antiq. graec. I., 2. p. 325. Erat hic vir ἀγαθόν Tarentinis, ut habet Aelianus V. H. III., 17, quo loco ipse πολιτικός τε καὶ φιλόσοφος ἀνὴρ γενόμενος Ael. XII., 15. Athen. XII., p. 420. Schw. comparatur cum φιλοσόφοις πολιτευομένοις Zaleuco, Charonda, Solone, Biante, Chilone, Pittaco, Cleobulo, Anaximandro, Xenophonte, aliis, et apud Plutarchum de educ. puer. 10. cum Pericle, Dione et Epaminonda, qui omnes καὶ τὰ κοινὰ ἔπρασσον καὶ τῆς φιλοσοφίας ἀντελαμβάνοντο κατὰ τὸ παρεῖχον τῶν καιρῶν. Archytam nostrum cum Pythagora et Publio Scipione disputantem in libro sexto de re publica induxit Cicero, temporum nulla ratione habita. cf. Hieronym. opp. IV., 2. col. 241.; quidam Archytam retulerunt in legum latorum numerum. Fabric. bibl. graec. tom. II., p. 30. Harl. Queritur ipse, quod ex publicis negotiis non ita se posset expedire, ut sibi et philosophiae vacaret, in Platonis epistola nona III., 3. p. 492. Bekk., quae tamen pro genuina haberi vix potest. Hujus viri tantis laudibus cumulati egregia virtute atque rerum experientia summum floris fastigium Tarentinam civitatem esse nactam, nemini mirum videbitur, quum enim hostes ad unum omnes bello superarentur, quiete cives negotiis suis perficiendis incumbere poterant. Οὕτως, ait Plutarchus rei publ. ger. praec. 28, ἡ πρὸς Ἀρχύταν πίστις τῶν πολιτῶν μεγάλα τοὺς χρωμένους αὐτῷ διὰ τὴν δόξαν ὠφέλησε; attamen neque hic magnus vir potuit effugere invidiam. Diog. Laert. VIII., 82. cf. Navarro de Archyta p. 21. sq. Plura nos alio loco, si datur occasio, proponemus. — Tertius, quem laudatum apud auctores invenimus, στρατηγός Agis est dignitate functus Pyrrhi regis tempore, quo nimia jam potentia Tarentina plebs fruebatur, ita ut Cineae oratoris mota artibus illi viro imperium abrogaret. Zonar. Ann. VIII., 2. Quae ipsa res τὸν στρατηγὸν, quamquam vocatum αὐτοκράτορα Zonar. l. c. Suid. s. v. Ἀρχύτας, populo fuisse obnoxium ostendit, quemadmodum e Plutarchi quoque narratione quaestt. graec. 42. apparet, rejecta videlicet Dinonis sententia a populo. De ipsis strategi negotiis ac muneribus[14]) quaerentes rerum bellicarum et foederum curas ab eo esse habitas mox observabimus, sed nullum exstat vestigium, quod eum civili rei publicae administrationi ferendisque legibus praepositum fuisse monstret. Idcirco hanc regiae potestatis partem suspicor cum ad populi comitia tum ad alium abiisse magistratum, prytanes dico, quales fuisse in civitate Tarentina prytaneum supra memoratum potest arguere, atque ii fortasse quovis anno creati una cum imperatoribus priscae fungebantur règiae potestatis muneribus. Erant prytanes in Doriensium civitatibus pluribus post abolitam dignitatem regum in eorum locum substituti[15]), Corinthi Tittmann de polit. graec. p. 361. et apud Rhodios, haud mediocri potestate praediti. Müller Dor. II. p. 136. Prytanis Tarentini negotia accuratius perquirere vel propterea negatur, quod neque ea, quae senatus, ephororum, imperatorum essent, satis certa sunt. Jure arbitreris summam sacrorum administrationem curae permissam fuisse prytanibus Tarentinis[16]), quemadmodum Crotoniensibus Athen. XII., p. 522. c. et Rheginis Tittmann. p. 502; quanto ii in honore a

---

[14]) Strategi munus vocabatur στρατηγία. Zonar. Ann. VIII., 2. Apud Thurinos quinquennio demum interjecto idem vir iterum imperator creari potuit. Aristot. polit. V., 6. p. 168. Göttl. Nescio an Crotone fuerit eadem imperatoria dignitas, occurrit enim Phormio strategus Crotoniatarum apud Hesychium s. v. Φορμίων. [15]) Ob quam potestatem regiae cognatam Charon principes Spartanorum πρυτάνεις dicere videtur. Scripsit is librum chronologicum: πρυτάνεις ἢ ἄρχοντες οἱ τῶν Λακεδαιμονίων. Suid. s. v. Χάρων Λαμψακηνός. [16]) Servatas esse ab illis tabulas publicas, quales apud Heracleenses memorantur Cic. pr. Arch. 4., haud absonum est.

civibus habiti sint, tu collige e Dionysii dono in prytaneum Tarentinum misso, in quod receptos esse prytanes munere suo rite perfunctos dixeris, nec tamen propterea cogitandum de magistratu prytanum Atheniensium simili, quamvis Tittmannus p. 494. non improbet. Prytanes Atheniensium ob popularia studia a pristina potestate degeneraverunt; sic ingeniose conjecit Müllerus l. c. p. 137. sq.

Quibus de Tarentinorum immutata republica expositis admodum id confirmatur, quod ab initio contendimus, sensim ac paullatim a proceribus imperium cessisse ad populum, deminuta magistratuum ac nobiliorum hominum potestate, adaucta vi comitiorum, unde Heraclea Tarentinorum colonia Olympiade LXXXVI. condita, plebis imperio minime favens, quomodo antiquam optimatium dominationem retinere potuerit, facile intelligitur cf. Tittmann. p. 497. Heyn. opusc. tom. II. p. 247. sq. Hegewisch de colon. graec. p. 113, manserat enim quodammodo vetus *πολιτεία,* nec mutato nomine statim abolita est pristina magistratuum potestas. Itaque quamquam ad popularem rationem res publica Tarentina appropinquaverat, retinuit tamen laudata illa optimatium instituta pleraque. Sententiam confirmat locus classicus Aristotelis polit. VI., 3, ubi is civitatis Tarentinae laudator optimates dicit, ut egentibus rei faciendae opportunitatem suppeditarent, possessiones cum iis ad usum communicasse, atque hoc modo multitudinis sibi benevolentiam comparasse [17]); quam rem sine dubitatione instituerunt post cladem illam celeberrimam ab Iapygibus acceptam, necessitate magis coacti quam sua voluntate, verum non sine magno suo fructu. cf. Wachsmuth antiq. graec. I., 2. p. 97. Pergit deinde Aristoteles l. c., fecisse Tarentinos duo magistratuum genera, ut alii suffragiis alii sortitione obtingerent, sortitione quidem, ut ex plebe etiam oriundi capessere eos possent, suffragiis autem, ut res publica quam optime administraretur. Simili modo rem ordinaverat Solon Atheniensis Aristot. polit. II., 9. p. 66. Göttl. Aeschin. in Timarch. p. 256. Bekk. Barthelemy iter Anachars. tom. I. p. 97. vers. germ. Majores arbitror magistratus Tarentinorum suffragiis, minores sorte oblatos esse, ita ut ea ratione sorte ac suffragiis inter se mixta sint plebis et optimatium imperii elementa; atque hoc est, quod significare voluit Strabonis epitomator, auctorem suum interpolando correcturus (geogr. min. tom. II. p. 77. Huds.), qui Tarentinos dixit *ἀριστοκρατηθέντας ἐν δημοκρατίᾳ.* Ceterum ob lentum Tarentinae reipublicae ad popularem rationem accessum Aristotelis de magistratibus verba non ad primam civitatis aetatem, sed ad initium secundae et ultra potius retulerim, quod ut faciam suadent etiam ultima capitis verba: *πῶς μὲν οὖν δεῖ τὰς δημοκρατίας κατασκευάζειν εἴρηται;* locutum igitur de eo tempore videmus Aristotelem, quo populi imperio favere Tarentini coeperant. cf. Müller Dor. II. p. 176. not. 3.

Civitatis Tarentinae formam atque administrationem satis excultam fuisse elucet ex iis, quae disputata sunt. Erat insignis magistratuum cujusvis generis numerus, cui indagando pro fundamento sunt Heracleenses. Primum genus magistratuum eorum dico, qui publicam disciplinam et securitatem curabant (Polizei); huc referendus annuus duorum *polianomorum* magistratus haud exiguae apud Heracleenses auctoritatis, memoratus in tabulis p. 205. ibiq. Mazoch. (cf. pag. 210. 211. 212. 214. 219. 224. 242. 246.), quos polianomos Dio Cassius

[17]) *Ἐκεῖνοι γὰρ κοινὰ ποιοῦντες τὰ κτήματα τοῖς ἀπόροις ἐπὶ τὴν χρῆσιν εὔνουν παρασκευάζουσι τὸ πλῆθος.* Verbum *παρασκευάζουσι* rem non semel factam esse arguit; sed non donarunt ipsas possessiones locupletiores, praebuerunt potius ad capiendum usus fructum. Apte Müllerus Dor. II. p. 176. agrum publicum intelligit, qualem Heracleae fuisse monstrat locatio conductio agrorum in tabulis. v. Heyn. opusc. II. p. 248.

XLIII., 28 et 48 comparasse cum praefectis urbi Romanorum [18]) videtur cf. Plat. epist. XIII. tom. III. p. 2. p. 502. Bekk., iidem, nisi fallor, comparandi sunt magistratibus, quos nostrates vocant: Bürgermeister. Sub polianomorum auspiciis rem frumentariam curabant σιταγέρται hi singulos annos neque, ut voluit Heynius opusc. II. p. 247, in lustrum creati. tab. Heracl. p. 208. ibiq. Mazoch. cf. p. 212. 246. Occurrit denique in tabulis p. 250. scriba publicus, ὁ γραμματεύς, ex more veterum cf. Tittmann p. 497, quod hominum genus honoris haud expers esse solebat. Ignarra de phratr. p. 197.

Rei judiciariae Tarentini, sicuti Doriensium alii, minus periti fuisse videntur cf. Müller Dor. II. p. 218. sq., nam δίκας δοῦναι καὶ λαβεῖν εὗρον Ἀθηναῖοι πρῶτοι, ut ait Aelianus V. H. III., 38. Equidem minime dubito, quin ephori Tarentini prae aliis judices exstiterint, ut esse soliti sunt in Spartanorum civitate Tittmann. p. 125. sq., collat. p. 108. sq.; verum hujus ordinis judices impensius, ut lites impedirent, quam ut dijudicarent enisos esse, colligimus ex Heraclide Pontico polit. §. 4. (cf. ibi Koeler.), qui Cyrenis ephoros tradidit multasse capitis deminutione litium studiosos. Quasdam poenas is constituebat magistratus, ad cujus negotia res ipsa pertineret, ut πολιανόμοι tab. Heracl. p. 224.; memoratur apud Hesychium Tarentina ἀνδικλόβολες δίκη ἐξ ὑπάρχων δικαζομένη (dummodo recte omnia legantur) et apud Metapontinos ἀκουστῆρες ἀρχή τις Hesych. s. v., ii videlicet, qui caussas audiebant. Poenarum quarundam praeterea mentio fit, v. c. exsilii, in quo puniendi genere a metropolis ratione nonnihil differebant Tarentini Müller. Dor. II. p. 224. sq., novimus enim jam ante mutatam rem publicam Gillum exsulem Tarentinum [19]) ex Herodoto III., 138., qui Persas redemit a Dario missos, in Iapygia captos, atque in patriam reduxit. Quo factum est, ut vehementius et civium Tarentinorum et regis, qui Persas prehendi jusserat, exacerbaret animos, nam frustra Cnidii Tarentinis amicissimi hominem in patriam restituere conati sunt. Quae exsilii poena sive a rege sive a populi concione decreta est, profecto bellorum Persicorum tempore de ostracismo cogitari nequit, quippe qui in Doriensium civitatibus post solutam demum antiquam rei publicae rationem inveniatur, Syracusis Müller. Dor. II. p. 159., Argis ibid. p. 145., Megaris p. 167. At seriori aetate ostracismum Magnae Graeciae civitatibus, ideo Tarentinis quoque in usu fuisse, propter effrenatam plebis licentiam admodum probabile est; sic enim Agathoclem videmus in Italia congregantem exsulum haud mediocrem numerum, a quibus adjutus opem Rheginis tulit. Diod. XIX., 4. Exsilii poenae addo capitis poenam, in quam actio dicta est ἀπόκληρος. Hesych. s. v., praeterea multae genus δίκας τριακοσταίας, aliquoties in tabulis Heracleensibus p. 171. 265. memoratum, quod quale fuerit post doctas Mazochii conjecturas p. 172. sq. etiamnunc ita obscurum est, ut nihil aliud dicere possis, quam spectare multam illam ad solvendas usuras.

Doleo apud veteres auctores de *vectigalibus* Tarentinorum nihil traditum esse, quum in civitate ob agriculturam, opificia, mercaturam clara, ea haud exiguum publicae opulentiae fontem fuisse censeas. Commonstrat id quod de piscatorum Sybaritarum immunitate ex Athenaeo constat, portoria de plurimis mercimoniis in Magna Graecia exacta esse. Qui multa sibi parabant, multa iidem solvere poterant, quibus ad gerenda bella, quam ad classem tam ad terrestres copias sustentandas maxime opus esset; quare quamvis apud Spartanos non factum sit, Tarenti tamen fieri debuit, ut annua tributa et certa instituerentur vectigalia.

18) De praefectis urbi consule Creuzeri antiq. Rom. p. 178. sq. 19) Qui homo alibi dicitur Crotoniensium princeps. Plura de eo sciscitaturis satisfaciet Wesselingius ad Herod. l. c. cf. Bentlej. dissert. Phalarid tom. II. de aetate Pythagorae p. 39. (in opusc. philol. p. 190. Lips.).

Aetas tertia

ab arcessito Archidamo usque ad Romanorum dominatum.

Olymp. CX. — Olymp. CXLII. (a. u. c. 545.)

Ea quibus Archytas Tarentinorum civitati praeerat tempora respicere videtur Strabo VI. p. 291. Tzsch. (ex eo Eustath. ad Dionys. Perieg. 376., omissis tamen verbis postremis), qui ἴσχυσάν, inquit, ποτε οἱ Ταραντῖνοι καθ᾽ ὑπερβολὴν, πολιτευόμενοι δημοκρατικῶς. Etenim accommodata sunt civitatis instituta populari imperio, verum quo minus licentia sua in perniciem plebs rueret, impedimento fuit vir unus ille celeberrimus de patria sua quam optime meritus. Plebem, quum ipsa sese continere non posset concesso voluntatis arbitrio, Archytas continuit, in quo libera civium fiducia ipsa plebis potestas quasi erat deposita. Plutarch. rei publ. ger. praec. 28.; ita factum est, ut populus Tarentinus, nulla voluntatis licentia corruptus, Archyta usus executore negotia quaeque perficeret, atque eo modo fieri plerumque solet, ut potentissimarum, quae populi suffragiis gubernantur, civitatum historia in singulorum virorum virtutis laude praestantium historiam abeat. cf. Heeren hist. antiq. p. 218. ed. IV., adeo ut ipsi fiant instar omnium. Cujus rei longe summum ac clarissimum exemplum Pericles exhibet Atheniensium princeps [1]), a quo tamen in eo Archytas differebat, quod non omnem sibi ut conciliaret potentiam studuit, ~~sed Pythagorica disciplina imbutus~~ atque optimatium imperio favens, ut pristinum rerum statum conservaret et felicitatem publicam sapientia augeret, animum acriter intendit. cf. Müller. Dor. II. p. 176. Contra in eo ambo viri conveniunt, quod, ut Periclis imperio summum florem Athenae, pari modo Archyta duce Tarentum adeptum sit, in qua via conficienda etsi a patriae civitatis indole recessit, minime tamen ob istam morum mutationem reprehendenda urbs est, relicta patriae firmitate ac rigore, conformato δήμῳ ad altiora evecta magis principia quam detrusa. Verum ipsa rerum natura menti humanae insitum est, ut homines felicitatis fastigium nacti ab eo debeant decedere, quod Tarentinis mortuo Archyta, Atheniensibus defuncto Pericle evenit; quippe enim, quum vir ille, qui totam civitatem continuerat, fatis occubuisset, populus in alio tantam fiduciam ponere neque ausus est, neque in quo poneret habuit, jam minus prospere gesta re publica cf. Wachsmuth. antiq. graec. I., 2, p. 383., veritus, ne excitata regnandi cupidine nimiam sibi quis adrogaret potentiam — haec enim vera rei caussa est Mannert. geograph. antiq. IX., 2. p. 55. — ad bella gerenda *peregrinos duces* coepit arcessere, qui novas copias ultro adducerent. Itaque haud multo post mortem Archytae Sparta cives sibi arcessivere Archidamum, qui adversus hostes honeste pugnans caesus est, et simili fato usum Alexandrum Molossum mox Agathoclem et Cleonymum, postremo Pyrrhum. Jure Strabo VI. p. 201. Tzsch. inter prava Tarentinorum instituta retulit, quod peregrinis ducibus in gerendis bellis usi sint (cf. de Non iter Neap. tom. III. p. 73. fol.), non enim, ut ait, imperatorum, quos ipsi evocaverant, dicto audientes sese praebuerunt, sed inimicitias cum iis susceperunt. At qui aliter fieri potuit? Quum raro libera sit a civium factionibus respublica ad plebis imperium inclinata cf. Hegewisch de col. Graec. p. 210. 212., fortior enascitur virium contentio, cui Tarentum Syracusaeque prae aliis debuerunt grande floris aevum Hegewisch. l. c. p. 214., itaque nolentibus opprimi civibus Tarentinis peregrinorum ducum imperia, siquidem violentiores ii sese gerebant, vix tamen evitari poterat servitus, quod ex eo hominum genere duces illi fere essent ad unum

[1]) Tu vide quae philosophorum ratione, nec tamen sine fructu de Periclis aetate disseruit H. Th. Roetscher in libro de Aristophane p. 93. sq. (Berol. 1827. 8.

omnes, qui fortunam periclitarentur. Archidamus alioquin vir fortissimus avaritiae crimine absolvi nequit, quare a patriis moribus omnino aberrans in peregrinis terris fortunae casibus se committere quam domi manere maluit. Cleonymus ab imperio exclusus, ira potius in patriam commotus quam auxilii ferendi desiderio trajecit in Italiam, saeviit in Metapontinos, depressit servitute ceteros, sibi ipsi cepit Corcyram, tandem cladibus abactus est; nec meliorem se ostendit Acrotatus, qui ob domesticas insidias rerum peregrinarum factus cupidus mox ad foedissimam voluptatem processit. Agathocles exsul Italiae littora praeternavigabat imperandi quo posset loco cupidine incensus, homo ex infima plebe profectus, nihilominus tyrannidem appetens, quem a Tarentinis e militia exauctoratum esse scimus. Alexandrum Epirotarum regem spes potiundi Italia e patria sede in occidentem propulit, castigavit is Tarentinos, quem nisi mors impedivisset, ipsi Romani inimicum habuissent. Quid tandem dicam de Pyrrho Achillis exemplum studiose aemulato, qui Romanos prosternere quam Tarentinos liberare maluit; is qua ratione Tarentinis civibus usus sit, è libris de Romanorum rebus gestis nemini non notum est. Apparet igitur, nihil boni attulisse Tarentinae civitati peregrinos duces, sed ipsam imminuisse civibus fiduciam sui, suis viribus, sua contentione nullam sibi fore libertatem sperantibus; quare intrante urbem Cinea Pyrrhi legato statim loco motus est Agis imperator.[2]) Debuit praeterea inter bella ope peregrina gesta civilium factionum increscere potentia ac furor, qualem Pyrrhi tempore exstitisse compertum est; qui mos olim civitati erat faustissimus, partem magistratuum populi suffragiis eligendi, hic ipse, nobilibus plebis gratiam corruptione sibi conciliantibus, perniciem in rempublicam convocavit. Eá ipsa aetate, qua cum Samnitibus Romani diuturna bella agebant, impotentem suarum rerum gentem Tarentinam prae domesticis seditionibus discordiisque Papirius dux Romanus increpabat. Liv. IX., 14. Irrumpente luxuria ac voluptate eo licentiae progressi sunt Tarentini, ut narranti fidem vix habeas. cf. Müller. Dor. II. p. 177. Virorum insignium loco rempublicam sapienter gubernantium exstitit perniciosissimum illud demagogorum genus auram popularem captantium[3]), quorum θρασύτης et μοχθηρία (Plut. Pyrrh. 13.) populum ab optimo quoque consilio capessendo removit. Namque ut verum sit, Romanos primam fecisse occasionem infelici illi bello, quod Pyrrhi auxilio freti susceperunt Tarentini, excusari tamen nequit plebis violentia in classem Romanam littori accedentem; tunc excitabat civium animos pessimae indolis homo, ob malam vitam Thais cognomine appellatus, secundum ea, quae retulit Dionysius Halicarnassensis antiq. XVII., 6, cui Appianus Samnit. VII., 1, ex eo fortasse rem mutuatus, adsentatur. De plebe quid sentias tali homini obtemperante? At erant inter eam homines σπερμολογώτατοι καὶ ἀναγωγότατοι Dionys l. c., propter quos optimus quisque, in his Meton, nefanda injuria affectus est. Dionys. XVII., 13. sq. Plut. Pyrrh. 13. Clare patet e Metonis patriae veri amici historia, qualia Pyrrhi aetate fuerint apud Tarentinos populi comitia, in quibus clamore ac vi qui bellum Romanis illaturi non erant, ejecti sunt Plutarch. l. c., adeo ut ne legatus quidem Romanorum tutus esset a foedissima Philonidae ebrii hominis injuria, vel plausum dante ipsa plebe. Rectissime Dio Cassius fragm. 145, 3. de illo locutus facinore dixisse videtur: *καὶ γάρ καὶ τότε ἑορτὴν ἦγον, ὑφ᾽ ἧς, καίτοι μηδένα χρόνον σωφρονοῦντες, ἔτι καὶ μᾶλλον ὕβριζον,* quare Pyrrhus

[2]) Quae omnia, luculentis et creberrimis auctorum testimoniis prosequi hujus loci non esse arbitrati, in ipsam Tarentini populi historiam nondum editam rejecimus. [3]) Erant inter viros populares, qui eloquentia praestarent ceteris, qualis fuit Aristarchus vir nobilis, quem Pyrrhus, ut loco eum submoveret, in Epirum ire jussit, sed Romam deinde profectus est. Zonar. Annall. VIII., 2.

quum primum venisset Tarentum, statim coërcuit plebis, quam a pernicie servare ipse non potuit, licentiam, clausit theatrum, ne in concionibus novis rebus studerent cives sibi parum constantes Zonar. Ann. VIII., 2, clausit idem gymnasia[4]) et περιπάτους, ubi verbis pugnantes huc illuc ambulare solebant[5]) Plut. Pyrrh. 16., clausit denique ceteras sodalitates coetusque omnes. Quarum rerum molestiis quum quidam fuga in agros se subduxissent, milites suos portis praefecit, qui neminem exire paterentur. Appian. Samnit. VIII. Zonar. l. c. Sic Pyrrhus Tarentinorum exstitisse tyrannus alicui videatur, sed praeter hunc non habuere alium. cf. Wachsmuth. antiq. graec. I., 2. p. 429. Sero tandem Tarentinos, quod peregrinum imperatorem in urbem arcessivissent, ob τὴν ἀήθειαν τοῦ ἄρχεσθαι Plutarch. l. c. (ἀήθεσιν ἔργοις καὶ ἐπιτάγμασι κάμνοντες Appian. Samnit. VIII.) poenituit; adeo enim ab omni dominatione facti erant alieni, ut quid esset obedientia nescirent. Haud invitis civibus ex Italia Pyrrhus abscessit, qui superba dominatione Tarentinos depresserat, sed aegre quoque Milonem praesidio relictum per annos nonnullos tulere. Vix composita cum Romanis pace legumque libertate servata, quamquam praesidium Romanum urbi impositum est ac multa in ea dispersa sunt Romanorum domicilia Polyb. VIII., 33, 6. Liv. XXV., 10., quamquam vel legati Romani fere semper Tarenti commorati esse videntur Liv. XXV., 7., rediviva nihilominus exstitit pristina plebis licentia, quam ad breve solum tempus compescere Pyrrhus potuerat; manserant enim in plebis manu res Tarentinae, sed nec plebs sui compos, sed in juniorum manu erat, quorum rebellibus studiis mox Hannibali urbs tradita est. In tanta civium inconstantia mirum esse nequit, haud multo post Carthaginiensium quoque imperium Tarentinos detrectasse, quamquam seditiosorum hominum numerum Hannibal relegaverat Liv. XXVII., 35.; tandem civilibus turbis Romanorum dominatio finem imposuit.

Aetas quarta
imperii Romani.

Tarentinos quidem a Romanis libertate spoliatos esse satis compertum est, nec tamen qua ratione civitas constituta sit, extra dubitationem ponere licet. Ac quidquid factum est, hoc certe constat, deducta colonia populo eam, quam rogaverat, leges sibi scribendi potestatem esse ademtam; fieri ea ratione potuit, quod Strabo dixit, ut quietius atque olim Tarentini nunc viverent. Videtur autem ab initio occupationis Tarentum, etsi legatos qui deprecarentur senatus Romanus non audiverat, sed intercedente ipso Fabio urbis expugnatore receptum esse inter civitates foederatas, ut jure ex Livio XXXV., 16. colligitur, ubi Sulpicius[1]) ait: ab Rheginis et Neapolitanis et Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno et perpetuo tenore juris semper usurpato, nunquam intermisso, quae ex *foedere* debent, exigimus etc. De Rheginis testis est idem Livius XXXVI., 42., de Neapolitanis Polybius VI., 14, 18.; eadem sors Thurinis obtigisse videtur Heyn. opusc. II. p. 142., Heracleensibus Cic. pr. Balb. 22. Heyn. l. c. p. 242., Locrensibus Liv. l. c. Heyn. p. 58. sq. Restitere Tarentinis integra veteris rei publicae instituta, veteres leges, veteres magistratus[2]),

[4]) Cui rei contradicere videtur Appianus III., 8. Alioquin gymnasia non nisi in luctu publico claudebantur, ut Athenienses fecerunt post mortem Socratis. Diog. Laert. II., 5, 43. cf. Ignarra de palaestr. Neap. p. 97. [5]) Videntur enim illi περίπατοι fuisse Tarentinis pro λέσχαις, quas Spartanorum habebant singula γένη. cf. Müller. Dor. II. p. 398. sq.

[1]) Pertinet Sulpicii oratio ad eam aetatem, quae receptam a Fabio Tarentum 561. a. u. c. proxime sequitur. [2]) Neapolin sua instituta retinuisse colligitur ex inscriptionibus Romanae aetatis. Tittmann. de polit. graec. p. 495. sq.

nisi quod Romanis auxilia mittere tenebantur, ut Minionis oratio apud Livium XXXV., 16. his confirmat verbis „Neapolitani et Rhegini et Tarentini, a quibus stipendium, a quibus naves[3]) ex foedere exigitis.“ Ceterum videas de jure civitatum foederatarum Micali Ital. IV. p. 123. sq. Münteri Veliam p. 58.

Existimamus haud ita facile sed paullatim imperio Romano adsuefactos esse Tarentinos ea ratione, ut, interjectis post urbem a Romanis receptam annis circiter nonaginta, nulla repugnantia coloniam Romanam receperint, quam maritimam dixit Plinius nat. hist. III., 16. Cujus scriptoris ex verbis „ab oppido Laconum in recessu hoc intimo sito, contributa eo maritima colonia, quae ibi fuerat“ jure Heynius opusc. II. p. 229. colligere mihi visus est, coloniam non in veteris Tarenti moenibus, sed in agro Tarentino constitutam fuisse, deinde cum urbe coaluisse. Quod si verum est, non credo Tarentinos ob deductam coloniam juris statum ita mutasse, ut Roma leges suas acceperint cf. Gell. XVI., 13. [4]); confirmat sententiam nostram illud ipsum, quod Tarentini cum Neapolitanis et Rheginis diutissime mores Graecos servasse dicuntur ad Strabonis aetatem usque. Strabo VI. p. 253. Cas. Videntur Romani Tarentinis eorumque urbi pepercisse de industria, quia locus commercio longe opportunissimus, populus clarus opificiis vel posteris erat temporibus, uti constat de purpura aliisque rebus. *Municipium* postea factum esse Tarentum arbitratur Mazochius ad tab. Herael. p. 98. sq., consentiente Aquinii interprete p. 61, nec sine idonea ratione. Etenim dubitari nequit, quin durante sociali bello [5]) Tarentum una cum ceteris Italiae meridionalis civitatibus Lucaniae maxime et Iapygiae (Flor. III., 18. Appian. bell. civ. I., 39. Liv. epit. 72. Vellej. II., 15, 2) adversus Romanos insurrexerit; acceperunt deinde finito bello civitatem Romanam seditiosi populi, mox per universam Italiam latam, ita ut Tarentinis obtingere oporteret. Ac nihil quidem in hac re tribuam Probo ad Virg. Georg. II., 197. Tarentum municipium vocanti, sed etiam Neapolis e foederata civitate municipium Romanum lege Iulia evasit cf. Cic. ad divers. XIII., 30. Ignarra de palaestr. Neap. p. 161. sq. [6]), retentis nihilominus institutis Graecis. Censet praeterea Mazochius, adsentiente Heynio opusc. II. p. 229, Tarentum quidem evasisse municipium, verum sine suffragio ac servata pristinarum legum libertate, beneficio legis Iuliae. Cic. pr. Balb. 8. Ernesti index legg. Creuzer antiq. Rom. p. 247. sq. Non idem Heracleensibus obtigit, quorum urbem seriori certe tempore municipium fuisse concedit Heynius opusc. II. p. 243. sq. cf. VI. p. 457. sq., evanuere enim patrii Heracleensium mores. De municipiis eorumque jure plura licet cognoscere ex tabulae Heracleensis parte altera Latine scripta. Tarentinos deinde accepimus civitatem suam donasse Archiae poëtae [7]) Cic. pr. Arch. 3. aliisque ibid. 5, uti fecerunt Neapolis et Rhegium et ipsa Heraclea ibid. 4; mox omnem florem civilem amisit Tarentum, urbs derelicta et infrequens facta nihil

---

[3]) Etsi jam antea belli Punici tempore Tarentini Romanum praesidium habebant ac naves Romanis commodato praebuerant, non tamen legitime inter urbes foederatas receptum erat Tarentum, quod ne credas suadet verbum συγχρησάμενοι apud Polybium I., 20, 14. Contra eodem tempore vi trahebantur Samnites ad stipendia maritima. Zonar. Ann. VIII., 11. [4]) De veterum coloniarum statu ac conditione inspice auctorum locos coacervatos apud Creuzerum antiq. Rom. p. 253. sq., e quibus judicium comparari potest. De coloniis maritimis adi Niebuhrium hist. Rom. tom. I. p. 301. sq. edit. 1. [5]) In quo bello Heraclea, Tarentinorum colonia, graviter afflicta est. Cic. pr. Arch. 4. [6]) Nec minus Velia cf. Cicer. pr. Balb. 24., qui scriptor Rheginos municipes memorat. oratt. Philipp. I., 3. Sed et Neapolis et Heraclea diu repugnabant civitati Romanae. Cic. pr. Balb. 8. [7]) Ipsis civibus positam statuam summum honorem fuisse contendo; sic Heracleae Parthen. cap. VII. et in aliis Graecorum civitatibus. cf. Boeckhium de statuarum honore disserentem in prooemio de vita Pindari p. 18. sq.

pristinae gloriae servavit praeter antiquam coeli et terrae jucunditatem, ob quam Tarentinam regionem Horatius poëta tantopere adamavit. Nec certi quidquam constat de ipsa Tarentinorum civitate, esse desiit sub imperatoribus Romanis populus Tarentinus, cives ab aliis Calabriae incolis non distinguebantur. Initio quidem imperii Romani ipsum Tarentum per sè fuit provincia, magnam complexa Italiae inferioris partem, praeter hanc altera in Italia Romanorum provincia praetoria Gallia cisalpina Liv. XXXVIII., 42; postea Tarentinus ager ad Calabriam provinciam quaestoriam in Italia quartam pertinebat, in qua ipsum quaestorium Luceriae fuisse visum est Pighio Annal. Rom. tom. I. p. 469. Itaque Tarentum eadem fata, quae aliae in Italia Graecae originis civitates Romanorum depressae imperio expertae sunt Münter Velia p. 66. sq., penitus tandem sensit.

Sectio IV.

Foedera Tarentinorum et res militaris.

Postquam omnia, quorum superest memoria, diversis temporibus quae fuerint civitatis Tarentinae instituta indagata sunt, ea tandem addere liceat, quae ad Tarentinorum cum aliis gentibus commercium aut pacificum aut bellicum pertinent, quorum alterum continetur de foederibus alterum de rebus militaribus doctrina.

Caput I.

De foederibus.

In iis, quae supra disputavimus, foedus Tarentinorum cum Cnidiis ictum ante bella Persica memoratum est, alterum cum Carthaginiensibus factum post Pyrrhi regis obitum, tertium cum Romanis ante Pyrrhi in Italiam adventum; quae foedera aut mercaturae, aut bellorum aut communis originis gratia composita sunt. Quum amicitiam, qua nulla esset firmior, in antiquitate solere jungere gentium cognatio, a Tarentinis etiam nunquam intermissum accepimus amicum et benevolum cum *Laconia* commercium, quod partim confirmant duces bellorum a patria expetiti, partim Acrotati, qui apud Tarentinos appulit, auctoritas, maxime autem Polyaeni narratiuncula V., 8, 2. Quum enim Leptines hostilis imperator Lacedaemone profectus Tarentum appulisset navem, hunc quidem ut comprehenderent tentarunt, expositis vero nautis nullam attulerunt injuriam, quod Lacedaemonii hi essent. E quibus indiciis colligi posse videtur, Tarentum solita coloniarum erga patriam pietatis officia (Polyb. XII., 10. Dionys. Halic. antiq. III., 11. Heyn. opusc. I. p. 312. sq.) nunquam detrectasse, quamquam nullo jure tenebatur Heyn. l. c. p. 301. sq., insuper longinquo mari Lacedaemone disjunctum; accedit, quod, quamvis secessione orta sit colonia Tarentina, tamen foedus aliquod inter utrasque partes sancitum esse Antiochi non minus quam Ephori narratio coarguit. cf. de orig. Tarent. p. 26. sq., eique rei tribuenda sunt permulta Doriensium instituta apud Tarentinos ad seriora tempora usque inventa [1]). Certissimum autem omnium pietatis

[1]) Eodem modo Gelois in Sicilia a Rhodiis et Cretensibus profectis ἐτέθη νόμιμα Δωρικά. Thucyd. VI., 4. Apud Himerenses Zanclaeorum colonos ἐκράτουν νόμιμα τὰ Χαλκιδικά. Thucyd. VI., 5. De Locrorum cum metropoli conjunctione adi Polybium XII., 10. et de sacrorum communione inter metropoles et colonias Heynium l. c. p. 325.

Tarentinorum erga patriam indicium Minervae perhibet imago Spartae ab iis consecrata Pausan. III., 12, 5, ut hoc loco de oraculi Delphici veneratione taceam.

Quae erga Spartanos honoris caussa observarunt Tarentini, eadem erga Tarentinos observare debuit *Heraclea*, unica ut videtur eorum colonia; etenim, quamquam in aliis quoque Italiae civitatibus quaedam novimus instituta Tarentinorum similia, ad liquidum tamen perduci nequit, utrum coloni illuc Tarentinorum missi sint, an subjectae Tarentino imperio urbes, aut solo amicitiae vinculo conjunctae fuerint. Heraclea quidem quo proprior erat, eo facilius in Tarentinorum potestate tenebatur, quare Strabo dixit: *Ἡρακλεία τῆς Ταραντίνης* p. 280. Cas., ubi *ἐξουσίας* potius quam *χώρας* subintellexerim, nam ad Bradanum fluvium usque extendebantur Thuriorum fines. Masoch. ad tab. Heracl. p. 108. sq. Apparet praeterea ex eo, quod Alexander Molossus conventum Graecorum Heraclea Thurios traducturus erat odio commotus in Tarentinos, fuisse urbem ditionis eorum, quos punire gestiebat regis animus. Vides igitur, quanto jure ex Heracleensium institutis Tarentina colligere possis. Post tempora demum Alexandri Molossi *αὐτόνομος* Heraclea facta est, etsi de anno non constat, equidem nescio an Tarentinis invitis, qui bellis adversus Lucanos susceptis civilibusque turbis detinerentur; servavit nihilominus in nummis Tarentinum typum Heraclea. Heyn. opusc. II. p. 241. sq. [2])

A colonia ad foedera transimus cum ceteris Italiae civitatibus juncta. Strabo geographus tom. II. p. 293. Tzsch. ait, ex *tredecim Iapygiae urbibus* olim florentibus praeter Tarentum et Brundusium suo tempore alias omnes in oppidulorum statum redactas esse, mox ibidem, in Iapygia esse templum Minervae olim opulentissimum. cf. Virg. Aen. III., 531. Goltz Sicil. et Magn. Graec. p. 291. Quibus ex verbis audacter fortasse colligere videbor foedus inter Iapygiae civitates olim ictum, cui Tarentum urbs potentissima praefuerit, templo illo Minervae conciliabulo usum, in quod socii convenirent. [3]) Ut in hac re nihil tribuam Flori verbis I., 18. Tarentum Calabriae quondam et Apuliae caput [4]) vocantis, maxime ad propositam pellit conjecturam multitudo nummorum, de quibus explicandis desperarunt viri docti. Eckhel D. N. I. p. 148. Etenim conspicitur in nummis quibusdam Tarentinorum caput Palladis galeatum, in parte aversa noctua aut oleae ramo, aut fulmini insistens expansis alis, aut simpliciter stans, quod Athenarum urbis insigne esse videbantur monstrare litterae *ΑΘΗ*, ita ut Pellerinius ejusmodi nummum nulla epigraphe ornatum ad ipsas revocaverit Athenas. Sed alii huic simillimi luculenter inscripti sunt *ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ* vel *ΤΑΡ*, ac leguntur notissima magistratuum nomina, in aliis quoque Tarentinorum nummis obvia: *VNVANIΩ*, nomen vix pure graecum, de quo arbitrari difficile est, *ΝΕΥΜΗΝΙΟΣ; ΠΟΛΥ, ΟΛΥΜΠΙΣ*, quo nomine nonnulli adducti sunt, ut Olympiae Elidis perperam hunc nummum adscriberent, *ꟷΗΡΑΚΛΗΤΟΣ, ΑΡΙΣΤΟΚΡΑΤΗΣ*. Praeterea in aris quattuor nummorum occurrunt litterae *ΣΩ*, quae nescio an *σωτηρίαν* significent, cf. Eckhel Num. vett. anecd. p. 35. tab. III. nr. 8. et 9. Litterae *ΑΘΗ* aut Pellerinii debentur errori, quae Heynii est sententia opusc. II. p. 221, aut Deam Palladem, foederis patronam indicant, cui communia sacra oblata sunt, ut mihi quidem videtur. Tantum abest, ut in eo assentior Heynio l. c.,

[2]) Nummus inventus est, Heracleae et Metaponti nomina exhibens; unde foedus inter utramque urbem ictum esse liquet. Heyn. opusc. II. p. 242. not. [3]) Nostra quoque aetate circa illam regionem permulta sunt loca sacra. Riedesel. iter p. 220. sq. [4]) Ad imperium quoddam Tarentinorum nescio an spectet Taras sceptrum tenens Rasche V., 1. p. 517. cf. Mionnet. Suppl. tom. I. p. 287., quod aliis temo esse videbatur. Mionnet. tom. I. p. 142.

quod Minervae caput cum noctua a Metapontinis petitum sit, qui ejusmodi nummos in Atheniensium gratiam cuderint Goltz Sicil. et Magn. Graec. p. 288, ut potius Metapontinos affirmaverim insigne istud a foedere urbium Iapygiae mutuatos esse, quemadmodum Velienses [5]) Eckhel D. N. I. p. 165. 166. Idem enim typus conspicitur in nummis Salentinorum plerisque, noctuae insistentis diotae imaginem referentibus Eckhel D. N. I. p. 145; caput Palladis in nummis Uxenti Iapygiae urbis est, quae Herculem a Tarentinis petierat Eckhel. p. 149, in nummis Leucae, quae erat prope templum Minervae in promontorio Iapygiae, caput muliebre nudum et noctua oleae ramo insistens Eckhel p. 144, nisi dixeris, litteras *ΛΕΥΚ* non urbem sed magistratum Metapontinorum indicare. Item Hyrii, ut videtur Apuliae urbis, nummi habent noctuam in galea Palladis Eckhel p. 141. sq. Quin remotiores ab Iapygia urbes, Atinum Lucaniae, Iapygiae foederis solemnem typum referunt honoris procul dubio et amicitiae cum Iapygibus junctae caussa Eckhel p. 151, in Heracleensibus Tarentinorum colonis, Metapontinisque Tarento vicinis idem non mirum est Eckhel p. 153. 155., noctua denique et fulmen in nummis etiam Butunti Calabriae urbis conspiciuntur. Eckhel num. vett. anecd. p. 30. Oleae ramum spectare ad insignem Salentinae terrae olearum abundantiam (vide supra) nemo est, qui in dubitationem vocet, apparet igitur, laudatam nummorum copiam statuendo foederi Salentinorum sive Iapygum optime convenire, cujus quin Tarentum caput ac domina fuerit, eo minus dubites, quo rarius exceptis paucissimis praeter illos communis foederis nummos, fortasse Tarenti cusos [6]), inveniatur Messapiae civitatum moneta cf. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 34. Ceterum fuisse urbes foedere junctas ab initio duodecim numero ob coelestium rerum rationem sancto, nec raro in foederibus [7]) obvio, persuasum habeo, potuit vero etiam simile aliquid fieri atque apud foederatas Ioniae in Asia minori urbes, quibus diremta ab Aeolensibus accessit tertia decima Smyrna, quum ab origine essent duodecim. Herod. I. 143. 145. 149. sq. schol. ad Plat. Theaet. p. 359. Bekk. Clavier. hist. Graec. tom. II. p. 104. sq. Conjecturam nostram de numero urbium foederatarum insigniter confirmat locus Varronianus (apud Prob. ad Virg.; fragm. p. 205. Bip.) „in tres partes divisa copia in populos XII., Salentini dicti“, tertiam decimam urbem dico Brundusium. cf. Niebuhr. hist. Rom. p. 154. ed. II. [8]) Deae templum in promontorio Salentino foederatis factum esse conciliabulum supra adumbratum est, quo magis mirum accidit, in ipsa Messapia peninsula inveniri τὸ καλούμενον Τριόπιον a Cleonymo expugnatum Diod. XX., 105. [9]), quod nomen in memoriam necessario unicuique revocat sacrum Apollinis Triopii templum, quo convenire Dorienses Asiae minoris soliti sunt. Herod. I., 144. Tittmann. p. 671. sq. Sed nolumus incerta pluribus tentare conjecturis, satis habentes monstrasse foederis Iapygii sive Salentini, quod hucusque latuit tenebris obrutum, haud obscura vestigia. Illud modo animadvertere liceat, ad antiquissima foedus illud tempora propter continua Messapiorum cum Tarentinis bella referri non posse, sed exstitisse forte post bellum de Heraclea gestum.

---

[5]) Sed Münterus Velia p. 51. caput muliebre Artemidis esse censet. Nexum quendam cum Thuriis Atticis, quorum nummi Palladis imagine insigniuntur, vix licet subodorari. [6]) Inde permagna Tarentinorum nummorum copia eo facilius exspectatur. [7]) Duodecim populi antiquo tempore icerunt foedus amphictyonum, variantibus auctorum testimoniis. Pausan. X., 8, 2. Strab. IX. p. 420. Cas. Aeschin. de fals. legat. tom. III. p. 352. Bekk. Duodecim continebat civitates foedus antiquum Achaicum Tittmann. polit. Graec. p. 674., pariter Attica terra Strab. IX. p. 397.; sed temere cum his confundit duodecim phratrias Ignarra de phratr. p. 19., simul immerito negans, anni partes duodecim spectatas esse ab institutoribus p. 25. [8]) Sed Plinium (nat. hist. III., 16.) animadverte tradere de decem Pediculorum populis. [9]) Quo nihil pertinent Triumpilini apud Plin. III., 24.

Aliorum foederum sedes Iapygiae exadversum *Lucania* seriori reipublicae Tarentinae aetate facta est, ut illa videantur in locum aboliti foederis Iapygii a Tarentinis esse substituta. Innotuit ejusmodi foedus Dionysii majoris Syracusarum tyranni tempore ictum Olymp. XCVI., 4. Diod. XIV., 91. Micali Italia III. p. 223. sq., ad quod ipsa urgentibus Lucanis Graecos Italiae duxerat necessitas. Istius foederis participes fuisse Tarentinos, quamquam non diserte traditum est, probabile tamen fit; potuit idem eo facilius pangi, quum simile antea ictum esset inter Crotoniatas, Sybaritas, Cauloniatas (et fortasse ipsos Tarentinos. Jamblich. vit. Pyth. §. 261.), qui omnes ad Achaeorum exemplum communes conventus et concilia ad Jovis *ὁμορίου*[10]) aedem eo, quo Pythagoreorum foedus dissolutum est, tempore Olymp. LXX. instituerant. Polyb. II., 39, 6. Niebuhr. hist. Rom. tom. I. p. 163. sq. ed. II. Idem Polybius l. c. §. 7. foedus in Italia Achaicum retulit exoletum esse Dionysii Syracusani imperio et barbarorum populorum potentia, ut consentaneum sit, mox alterum foedus antiquiori amplius pactum esse[11]) v. Heyn. opusc. II. p. 189. sq., qui tamen de tempore fallitur. Quum novum foedus in maximis junctum esset temporum angustiis, nulla in eo videtur exstitisse *ἡγεμονία*, sed uni alterive civitati oblatum est summum imperium, ut Crotoni. Diod. XIV., 103. *Ἐγκατεσκεύαζον*, inquit Diodorus XIV., 91., *συνέδριον*, qui conventus conjunctus, nisi fallor, fuit communibus sacris Junonis Laciniae, cujus sanctissimum erat templum exadversum promontorio Iapygio omnium, qui circa habitabant, populorum comitiis Aristot. mirab. 99. Liv. XXIV., 3., refertum multis donariis. Polyb. XXXIV., 11, 9. Strabo tom. II. p. 239. Tzsch. ex eo Eustath. ad Dion. Perieg. 371.[12]) Commodus templi situs prope Crotonem medio ferme inter Tarentum et Rhegium spatio idoneum reddidit locum ad conciliandos[13]) legatos omnium, qui habitabant in Italia, Graecorum Diod. XIV., 91., et emittendam communem Graecorum classem ibid. 100. Foedus ab initio ita severa lege ictum, ut cujus urbis copiae adversus Lucanos non adessent in tempore, ejus strategi capite punirentur ibid. 101., Lucanorum victoriis infractum est ibid. 102., dissolutum non dixerim. Dionysium quidem majorem scimus Graecorum societatem voluisse dispescere muro, id quod impeditum ab iis est, qui extra isthmum habitabant, sed cum tempus tum id incertum manet, utrum de quo nunc loquimur foedus, an prius Achaicum auctores indicaverint. Strab. VI. p. 238. Tzsch. Plin. III., 15.

Foedus pactum est inter gentes Italiae inferioris, quarum solemnis conventus ex more Heracleae Tarentinorum celebrabatur, ante Alexandri Molossi tempora. Strab. VI. p. 292. Tzsch. Cujus foederis *ἡγεμονίαν* penes Tarentinos fuisse vel inde elucet abunde, quod Heracleae[14]), quae pendebat ab imperio illorum, essent concilia; abalienato igitur Alexander

---

[10]) Sed malim levi mutatione scribere *ὁμογνίου*, foedus enim constituere tres urbes Croton, Sybaris, Caulonia propter communem ex Achaja originem. Raoul-Rochett. hist. colon. graec. tom. III. p. 187., 189. sq. 241. De Jove *ὁμογνίῳ* consule Ruhnk. ad Tim. p. 192. sq. Creuzer. Symbol. tom. II. p. 513. [11]) Singularum praeterea erant urbium foedera Lai et Posidoniae, Crotonis et Veliae, ut docent nummi. Eckhel. D. N. I. p. 154. 173. Münter Velia p. 55. Contra e Rheginorum responso, facturos se esse, quod aliis Italiae civitatibus visum fuerit Thucyd. VI., 44., nolim cum Tittmanno p. 737. foedus eruere, quippe enim metuebant Rhegini, ne ceterarum urbium inimicitias sibi contraherent. [12]) Adde narrationem de columna aurea, quam ablaturus Hannibal fuerat. Cic. de divin. I., 24. ex Coelio. Liv. l. c. [13]) Tittmannus p. 737. male retulit Junonis Laciniae templum ad priscum foedus urbium Achaicarum Jovem potius quam Junonem venerantium. [14]) Concilia Heracleensia ante portam maritimam in loco, qui hodie vocatur Policoro, habita esse hariolatur Mazochius p. 111., nomenque existimat vetustum, deinceps parum probabilia disputans.

a Tarentinis animo, ut damnum iis injiceret, in Thuriorum fines conventum transferre voluit jussitque apud Acalandrum amnem locum iis conciliis aptum communiri. Strabo l. c. — Mazochius ad tab. Heracl. p. 105. sq. de conciliis Magnae Graeciae locutus ea putat inter Archytae πολιτικὰ κατορθώματα referenda esse. Verum est, ut profitear, ejusmodi foederum vestigia ipso Archytae tempore inveniri, hunc enim virum τῷ κοινῷ τῶν Ἰταλιωτῶν praefuisse στρατηγὸν αὐτοκράτορα a civibus vicinisque gentibus creatum, testis est Suidas s. v. Ἀρχύτας, qui nescio quo ex fonte rem suam transcripserit. Equidem foedus Alexandri Molossi aetate memoratum haud diversum duco ab eo, quod junctum est Dionysii tempore, ita tamen mutatum, ut Crotoniatarum principatus ad Tarentinos Archytae imperio vigentes delatus sit; recte igitur Tarentum quondam totius Lucaniae caput fuisse dixit Florus I., 18. Opus erat adversus finitimos Lucanos Graecorum perpetuo foedere, ita ut dissolvi nequiret, sed illud facile largior, deberi Archytae prudentiae, qui Tarentinorum suffragium gravissimum esse voluit, novum conventum apud Heracleenses institutum. Explicantur isto foedere bella permulta, quae Archytas gessit, ac Dionysii minoris insigne studium, ut Tarentinos sibi conciliaret, qui foederi praeessent. Ad quae usque tempora celebrati conventus fuerint, dicere non habeo, sed illud constat, ante bellum Pyrrhi auxilio adversus Romanos gestum Tarentum sibi visum esse urbium Italicarum habere tutelam quandam. cf. Appian. Samnit. VII., 1. Foederum cura procul dubio inter munera τοῦ στρατηγοῦ Tarentini constituta est, ad quem legati populorum mitterentur, vel cui cum legatis agendum esset[15]) cf. Athen. XII. p. 524. Schw., adeo ut merito queri potuerit Archytas, quod nimiis detineretur publicis negotiis, nihilominus benevolo erga cives animo suscepit τῶν κοινῶν onera, ne pravi ad ea accedere possent homines, vir praestantissimus Plat. epist. IX. p. 493. Bekk.; quod tamen proh dolor! illo mortuo, arcessitis peregrinis ducibus factum esse novimus[16]). Magna Graecia, quae concors Lucanis inimicis potentissimis resistere non potuit, civilibus turbata factionibus qui potuisset Romanis? Liberae vitae communi foedere per tempus aliquod defensae novum successit victoris omnium gentium populi imperium.

Caput II.

De re militari.

A foederibus populi Tarentini ad ejus illustrandas inimicitias accedimus. Tarentinorum quinam fuerint *hostes*, omni doctrinae apparatu exponere hujus loci non est, sed ipsa edocemur civitatis historia. Initiis novae coloniae constat, perpetua ab incolis adversus servitutem detrectantes Iapyges bella gesta esse, quae quam saeva et cruenta fuerint, ostendit Carbinatium exemplum Athen. XII. p. 441. Schw., ut nunquam odium inter Tarentinos et Iapyges

---

[15]) Alioquin legati ducebantur in concionem populi, ut vidimus. Praecipua legatorum cura ad aliarum civitatum exemplum videtur fuisse prytanibus, qui in prytaneo praeberent epulas legatis. Dissen. explic. ad Pind. p. 478. ed. Boeckh. Müller. Dor. II. p. 136. sq. [16]) In fine disquisitionis addimus vestigia quaedam foederum Tarentum inter aliasque urbes ad tempus junctarum. Crotoni civitatem amicam factam esse ante bella Persica historia Democedis probat, detinuit enim Aristophilides Persas, donec in patriam Crotonem reversus esset Democedes. Herod. III., 136. Effecit hanc amicitiam quaedam originis communio cf. de orig. Tar. p. 50., ut inter Laum et Paestum Sybaritarum colonias. Raoul-Rochett. hist. col. graec. tom. III. p. 243. sq. Quin Spartanam finxere Samnitium originem Tarentini, ut haberent, quo foedus cum iis confirmarent. Strab. V. p. 207. Tzsch. Contra quid effecerit foedus cum Rheginis Herod. VII., 170., non video; erat fortasse Micythi cum rege Tarentinorum amicitia. Probat utriusque urbis foedus Aelianus V. H. V., 20.

exoletum esse videatur. De Siritide terra minus saeve dimicatum est, quo tempore externi populi novam coloniam miserunt dirutae urbis Sybaridis loco, non tamen cessit odium in Thurinos sequenti aetate, qua ipsam urbem Romanis faventem Tarentini subito impetu diripuerunt. App. Samnit. VII., 1. Cum Dionysiis Syracusarum tyrannis atque Agathocle inimicitias quidem suscepere Tarentini, verum nimis a Sicilia remoti, quam qui eadem pati potuissent, quae propiores Siciliae Rhegini, pacis saepius conditiones agebant, quam bella gerebant. Novi hostes Iapygibus longe terribiliores mox, quorum majores Samnites callide sibi conciliaverant Strab. V. p. 207. Tzch., Lucani Tarentinis exstiterunt, sola Archytae prudentia ac bellorum experientia domiti, adversus quos egregie dimicantes perierunt fortissimi reges Archidamus et Alexander Molossus. Acerbissima fuit Tarentinorum adversus Romanos inimicitia omni bellorum arte claros, ut nihil jam antea in ipsis bellis Samniticis, quo Lucanos a foedere Romano abstraherent Liv. XIII., 27., omiserint, Romanorum naves in sinu Tarentino demerserint, legatum foedissima injuria affecerint. Quin tanto in Romanos flagrabant odio, ut quum ad Pyrrhum legati de redimendis captivis mitterentur, ille ne injuriam Tarentinorum paterentur, praesidium iis obviam ire juberet. Dio Cass. fragm. Ursin. 146. cf. Valer. Max. V., 1. ext. 3.

Quum tanta tamque atrocia fuerint Tarentinorum bella ab Olympiade LXX ad a. u. c. 545. spatio gesta annorum fere CCC, brevibus modo quibus pacem agerent interjectis temporum intervallis, quamvis verum sit, quod ait Livius XXVII., 16. „non animo, non armis, non arte belli, non vigore aut viribus corporis par Romano Tarentinus“, eos tamen militari gloria haud destitutos fuisse, existimandum est. Nostra ut comprobemus interest. Urbem maximam Italiae, incolis frequentissimam aluisse *exercitum* peditum millium XXX., equitum millium III., ut Strabo retulit VI. p. 291. Tzsch., a probabilitate non abhorret, si quidem auctor laudatus summi floris aetatem, qua Archytas civitati praeerat, respicere videtur, nec multo inferior numero est exercitus, quem e Laconibus, mercenariis et Tarentinis Cleonymus conscripsit XX millium peditum et II millium equitum. Diod. XX., 104. Contra omnem probabilitatem exsuperat exercitus, quem Pyrrho adfuturum ex Lucanis, Messapiis, Samnitibus et Tarentinis equitum XX millium, peditum CCCL millium speciosius quam verius adseverarunt legati Tarentini.[1]) Plut. Pyrrh. 13. Nihilominus numerosissimos fuisse Tarentinorum exercitus ex Herodoto VII., 170. colligitur, qui cladem ab Iapygibus acceptam Olymp. LXXVI., 4. exstitisse maximam Graecorum (*φόνος Ἑλληνικός*), cujus memoria esset, prodidit. Apparet ex eodem scriptoris loco, antiquiori tempore ipsos cives *stipendia* meruisse, *πολιτικοὺς στρατιώτας* Diod. XI., 52. secundum *καταλόγους* conscriptos Plut. Pyrrh. 16., uti par erat, nam caesi sunt multi nobilium Aristot. Polit. V., 2.; hunc morem servatum esse credo ad Archytae usque tempora. Quo mortuo, quum opulentia licentiam ac mollitiem gigneret, non ex civibus sed ex mercenariis militibus, ut fieri solet in civitatibus mercatura claris, comparabantur exercitus [2]), neque illi perniciosa in cives potentia destituti erant, venit enim Agathocles inter eos receptus in affectatae novitatis suspicionem. Diod. XIX., 4. Mercenarios istos arbitror sumtos esse ex Iapygum populo [3]), qui ab aliis etiam conducebantur, ut ab Atheniensibus belli Peloponnesiaci tempore Thucyd. VII., 57. cf. VII., 33., praesertim strenui gentis Massapiae jaculatores. Recenti mercenariorum usu subito ad mollitiem Tarentini prolapsi, Pyrrhi tempore ut militiae se subtraherent tentabant Plut. Pyrrh. 16., neque alia nisi capitis poena ad stipendia facienda coacti sunt App. III., 8., nec posteris temporibus, quibus Romani a Tarentinis stipendia exigebant Liv. XXXV., 16., ipsi ea meruisse, sed mercenarios misisse videntur.

Universae rei militari praepositus erat apud Tarentinos *ὁ στρατηγός*, ipse militum dux in bellis, etenim *ἐστρατήγουν Ἀρχύται καὶ Φιλόλαοι* Synes. ad Paeon. p. 307. ed. Petav. cf. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 48. sq., neque ulli cessit in proeliis Archytas. Curabat im-

[1]) Item modum excedunt, quae de Sybaritarum exercitu CCC millium hominum tradidit Strabo VI. p. 263. Cas., ex eo Eustath. ad Dion. Perieg. 373. Rectius hunc omnium civium, non militum numerum exhibet Diodorus XII., 9. [2]) Civili exercitui Cleonymus adjunxit mercenariorum manum. Diod. XX., 104. [3]) Non omnis Iapygum populus in servitutem redactus est. Ipsi servi nonnisi instante necessitate inter milites recepti sunt, ut apud Spartanos helotae, Müller. Dor. II. p. 37. sq.

perator instituendos militum delectus, Cleonymus, qui Tarentinos conscripsit Diod. XX., 104., et Pyrrhus severus exactor. Plut. Pyrrh. 16. Praeterea, quamquam de bello ac pace penes populum erat arbitrium, ut docet Metonis historia, proposuit tamen imperator belli gerendi conditiones Plut. quaestt. graec. 42., atque in ipsis bellis summum ei delatum est imperium, ad quod referendum videtur ὁ αὐτοκράτωρ Zonar. Ann. VIII., 2. Suid. Ἀρχύτας; idcirco Archytas κύριος τῆς Ταραντίνων πόλεως dicitur apud Demosth. p. 1415. Reisk. (tom. V. p. 603. Bekk.). Apte cum imperatorio munere consulum Romanorum potestas comparabitur, quippe quibus imperium extra, non intra urbem commissum est, oblatum a populo. Fest: cum imperio. cf. Cic. ad div. I., 9. fine.[4])

Haec de re militari Tarentinorum in universum monui, jam disputaturus de *equitatu* eorum, tantam celebritatem adepto, ut singulare equitum genus ab iis, qui essent inventores, Tarentinum vocaretur Suid: Ταραντῖνος. Ael. Tact. cap. 43. p. 72. Arcer., eorumque dimicandi ratio vocabulo ταραντινίζειν denotaretur. Ταραντινίζειν quid sit, non satis distincte explicatum legimus apud Stephani Byzantii epitomatorem s. v. Τάρας: ταραντινίζειν τὸ τὴν ἐνόπλιον καὶ εἰς τὰς μάχας χρήσιμον ἱππασίαν ποιεῖσθαι, quae verba repetiit Eustathius ad Dion. Perieg. 376. Luculentius quales Tarentini equites fuerint, apparet ex Hesychio: Ταραντῖνοι ἱππεῖς τινες ὀνομάζονται, οἱ δὲ, τοὺς ἀκοντιστὰς ἢ τοὺς ὑψηλοὺς (quod in ψιλούς mutandum esse censet Arcerius ad Aelian p. 116.) ἱππεῖς, ὡς καὶ ἵππαρχος, quibus verbis a Favorino s. v. Ταραντῖνοι repetitis simul vindicatur Strabonis lectio VI. p. 291. Tzsch. (280. Cas.), qui ait Tarentinos habuisse ἱππάρχους χιλίους. Quidam interpretes quum vocem illam vulgari sensu (Suid: ἵππαρχος ὁ τῶν ἱππέων ἄρχων) acciperent, memores trium millium equitum a Strabone laudatorum, qui numerus triplex hipparchorum est, non alio modo nodum solvere posse sibi visi sunt, quam eo, quod locum aut omnino corruptum esse censerent, aut scribendum ὑπάρχους[5]) i. e. militum duces inferioris ordinis, vix meliorem sensum extricantes. Nos facile Strabonis locum, singularem equitum turmam intelligentes, ut suspicatus est Heynius opusc. II. p. 223., iis conformatam militibus, qui proprie Tarentini vocantur, ab omni offensione expedimus; dicti sunt equites illi ἵππαρχοι, quia ad ineundas pugnas primo agmine incedunt (ἄρχονται), ac μετέρχονται συμπληγαδόν. Ael. Tact. 42. p. 73. et not. Arcerii. Exstat de hoc equitum genere locus classicus apud Aelianum Tact. c. 2. p. 14. sq. Arcer., ubi de bellici apparatus divisione is loquitur, nec integra ejus verba referre pigeat, ut quae fuerit Tarentinorum equitum indoles, extra omnem dubitationem ponatur.

Equestrium copiarum, inquit *Aelianus*, quae in turmas instruuntur, quasque a currubus discriminavimus, pars cataphracta est, pars non cataphracta. Quae cataphracta[6]) dicitur ea tum viros tum equos loricis undique circumtegit, quae cataphracta non est, ejus equites sunt doratophori seu hastati, quidam acrobolistae. Doratophori sunt isti, qui ex equis cum hostibus manus conserunt ac cominus hastis pugnant. Horum autem alii scuta habent vocanturque scutati, alii hastis solis sine scutis pugnant, qui etiam proprie doratophori vocantur atque a nonnullis xestophori. Equites acrobolistae dicuntur, qui eminus hostem petunt, atque horum alii missilibus utuntur, alii arcubus. Missilibus utuntur illi, qui proprie vocantur Tarentini, at Tarentinorum duplex est differentia, nam qui ex illis eminus spicula jaculantur, hippacontistae[7]) dicuntur ac proprie Tarentini, quidam vero Tarentinorum levibus missilibus utuntur ac primum semel iterumque ejaculati confestim exinde cum hostibus congredientes cominus praelium ineunt propemodum atque illi, quos doratophoros ante diximus (sed parvis hastis

[4]) Pari modo Spartanorum reges relicta patria facti sunt στρατηγοὶ αὐτοκράτορες. Müller. Dor. II. p. 104. Tittmann. p. 125. Haec regiae potestatis pars militaris ad strategos transiit. Ipse Aristoteles regnum Laconiae nihil esse censuit, nisi imperatoriam dignitatem perpetuam. Polit. III., 9. Goettl.; neque aliud significat vox στρατηγός, quam ducem populi i. e. regem. Pindar. Olymp. V., 12. Boeckh. [5]) Sic habet Ubbo Emmius lib. VIII. de vet. Graec. in Gronov. thesaur. tom. IV. p. 177. Ὕπαρχοι erant judices in caussis quibusdam apud Tarentinos. cf. Hesych: ἀνδιχλόβολος. [6]) De cataphractis, qui et clibanarii dicuntur cf. Arcerii not. p. 115. Ernesti indic. ad Ammian. Marcell. s. v. clibanarii. [7]) Male ἱππαγωνισταί. Catalog. voc. rei milit. ap. Suid. tom. III. p. 713. sq. Kust. Eodem loco dubito, an recte se habeat, quod deinde adjungitur, fuisse inter cataphractos θυρεοφόρους, οἳ καὶ Ταραντῖνοι.

utentes. Suid. s. v. ἱππική. cf. Aelian. 48. p. 72.); atque hi vocantur leves, ita ut inter Tarentinos proprie Tarentini dicantur ii, qui eminus in hostem ejaculantur, leves autem appellentur, qui cominus pugnant.[8] Plane consentit Suidas s. v. ἱππική, qui sua aut exscripsit ex Aeliano aut eodem cum eo fonte usus est. Binos equos secum duxisse Tarentinos apud Livium XXXV., 28. memoratur, nescio, an continuo usu. — Ceterum videntur equites Tarentini in turmis pugnasse virorum ducentorum quinquaginta sex, qualis turma vocabatur Tarentinarchia. Suidas s. v. ἐφίππων ὀνόματα (restitutus a Kustero ope catalogi vocabulorum tacticorum) primam ponit turmam (ἴλην) virorum sexaginta quattuor, deinde epilarchiam, tarentinarchiam, hipparchiam, ephipparchiam, τέλος et epitagma, quarum turmarum una quaeque virorum numero duplum continet ejus, quae proxime antecedit.

Quibus de equitum Tarentinorum indole expositis, quaestio facile suboritur, quid ad tantam equitandi virtutem veteres Tarentinos incitaverit; ac mihi quidem praecipua caussa in praestantia *equorum* Apuliae posita esse videtur. Memorat equorum greges in Apulia Livius XXIV., 20., e quibus praedatus ad quattuor millia domanda divisit equitibus Hannibal, item memorat Varro de re rust. II., 7. inter nobilissimos, hodieque ceteris in Italia praestant equi Neapolitani. Salis. iter p. 69.[9] Apuliae equis non cedebant ii, quos ager Tarentinus alebat[10], ut monstrant notissima illa Horatii verba serm. I., 6, 58. sq. „non ego circum me Saturejano vectari rura caballo, sed, quod eram, narro"; quem ad locum vetus scholion sic habet: „Saturejani fundi (juxta Tarentum) sunt in Apulia fertiles et equorum nobilium genitores." Saturejanum caballum Horatius dixit equum praestantem, simul percutens salse provincialium nobilium tumorem et inanem fastum. Tarentinos equorum tractandorum quadam artis lege[11] fuisse peritissimos, vel ludi equestres nonnunquam celebrati, de quibus alio loco dicendum est, possunt arguere; in hac quoque re Tarenti cives multum abscesserunt a majorum moribus, Spartae enim et in universa Laconia prae equite pedes in honore habebatur, equestre studium, quo juxta Tarentinos inter Spartanorum colonias Cyrenae insignitae sunt Boeckh. explic. ad Pind. p. 268., levioris animi indicia prae se ferre existimatum est. cf. Müller. Dor. II. p. 242. Indicant praeterea Tarentinorum equites elementum quoddam civitatis ad normam timocratiae constitutae, quoniam ditiorum ac potentiorum hominum, equestris videlicet ordinis, ut equos alerent, esse debuit; sic Cumis in Aeolia Heracl. Pont. 11., Tittmann. p. 440., Chalcide atque Eretriae Aristot. Polit. IV., 3. Tittmann. p. 405. sq. Recte igitur mihi videor conjecisse, Tarentum per timocratiam ab optimatium dominatione

8) In nummis saepissime conspicitur eques Mionnet. I. p. 140. sq. Suppl. I. p. 275. sq., armatus Mionnet. p. 141. 142. Suppl. 282. 84. sq. 89. 92., cum clypeo Mionnet. 145., cum hastis ibid. 141. Suppl. 285., cum clypeo et hasta Mionnet. 138. Figura sedens cum clypeo et hasta. Suppl. 281. Eques cum clypeo, hasta et duobus jaculis Suppl. 283., duo equites Mionnet. 144.; unus cum hasta, alter cum clava. Suppl. 288. Eques in cursu citato Mionnet 143. 146., cum sagulo. ibid. Vir galeatus prope equum Mionnet. 144., prope equitem figura nuda prostrata ibid. 145. Goltz. tab. XXXI. nr. 10. Vir capite radiato equo insidens. Rasch. lex. V., 1. p. 517. Similiter expressa Tarantis herois imago, qui tenet galeam Mionnet. 141. 142., vel hastam Suppl. 286., vel clypeum Mionnet. 144. 145. sq. Suppl. 287. sq., vel arcum et sagittam Mionnet. 138. 144. 146. cf. Suppl. 278. 286. Eckhel. D. N. I. p. 147., vel clavam Mionnet. 145. 147. (ubi pone Herculem) 148. Suppl. 287. 292. Arcus et clava ad instar crucis positi conspiciuntur Mionnet. 148. cf. Suppl. 278. Taras armatus in delphino. Suppl. 281. 282. cf. 288. Nec tamen dixerim, Tarantem ubique clare dignosci posse. De Nummis Tarentinis equitum imaginibus ornatis vide Eckhel. D. N. p. 146. Begerus male Phalanthum sibi deprehendere visus est. Eckhel. l. c. p. 147. num. vett. anecd. p. 33. Signa in clypeis equitum habes delphinum Mionnet. 145., equum marinum, astrum; litterae denotant singulas turmas, usu recepto. Veget. de re milit. II., 18. cf. Rasche lex. V., 1. p. 510. Eckhel. num. anecd. p. 34. Mazoch. ad tab. Heracl. p. 151. Memorabilis praeterea in nummis Tarenti figura genuflexa, quae calcet equum eo ferramenti genere, quod soleas Romani, Graeci ὑποδήματα dixerunt. Communis usus soleas ferreas, luxus argenteas aureasque fecit. Plin. nat. hist. XXXIII., 49. Sueton. Nero 30. ibiq. Casaub. Eckhel. num. anecd. p. 34. Rasche V., 1. p. 523. 526. Ad singularem dimicandi rationem refero viri nudi imaginem delphino vecti, sinistra linteo involuta Rasche V., 1. p. 541.; hoc enim modo deficiente clypeo nonnunquam pugnabatur. Plutarch. Alcib. 39. Liv. XXV., 16. Scalig. ad Varron. de ling. lat. tom. II. p. 6. Bip. Winckelmann opp. tom. V. p. 213. ibiq. notae. Pileus, memoratus in nummo ap. Raschium. p. 537., haud dubie erat tegmen militare. Singulare armorum genus ἄηκτον laudavit Hesychius s. v. 9) Animadverte, Apulos (Iapyges) et Messapios socios Romanorum multos iis praebuisse equites. Polyb. II., 24, 11. Ipse ille fabulosus Messapus egregius eques dictus est. Serv. ad Virg. Aen. VII., 691. 10) Equus in nummis Tarentinis Mionnet. I., 140.; equi protome. ibid. 148. Suppl. I. p. 292. 11) Quid? quod Sybaritae equos suos ad tibiae modos saltare docuisse feruntur, non sine suo exitio. Athen. XII. p. 520. c. Ael. nat. anim. XVI., 23.


ad plebis pervenisse imperium, interemtis in pugna adversus Iapyges nobilioribus, qui essent equestris ordinis. — Tarentinis equitibus constat tam celebrem factam esse urbem, ut illorum certandi ratio ad alios etiam populos abierit, unde Tarentinorum equitum nomine non ipsi modo Tarentini, sed milites Tarentina disciplina imbuti vocabantur. Liv. XXXV., 28. Eckhel. D. N. I. p. 147. Wachsmuth. antiq. graec. I., 2. p. 429. Itaque inter mercenarios Eleorum in bello Achaeorum sociali sunt equites Tarentini. Polyb. IV., 77, 7.; ab iis commissum praelium ad Mantineam, quo Philopoemen conflixit cum Machanida Polyb. XI., 12, 6. sq., prima acie locantur in exercitu Antiochi contra Scopam dimicantis in Coelesyria. ibid. XVI., 18, 7. Sic centies occurrunt in primis signis praelium committentes Tarentini. cf. Liv. XXXV., 28. sq. XXXVII., 40. Diod. IX., 29. Plut. Philop. 10. Cleom. 6. Polyaen. III., 7, 1. add. Cic. ad Attic. V., 19.

Superest, ut expositioni nostrae de terrestribus Tarentinorum copiis nonnulla adjungamus de *classe*, qua alias Magnae Graeciae urbes Tarentum multo superabat; ut enim ait Strabo VI. p. 291. Tzsch. (280. Cas.) *ναυτικὸν ἐκέκτηντο μέγιστον τῶν ταύτῃ*, sed nihil addere voluit de navium numero. Strabonis verbis optimus commentarius ipsa sit Tarentinorum historia. Ad mercaturam cum remotissimis terris faciendam multis navibus opus erat, partim ut ipsa mercimonia transveherentur, partim quibus ea a piratis defenderentur. Idcirco cognovimus adversus Agathoclem in subsidium confestim XX naves decretas esse; totidemque pugnarunt adversus Romanos in bello Punico secundo. Liv. XXVI., 39. Pyrrho naves adversus Corcyram praebuere Tarentini Pausan. I., 12, 2., ipsi Pyrrhi transvexere exercitum, qui erat elephantorum XX, equitum III millium, peditum XX millium, sagittariorum II millium, funditorum D, usi *ἱππηγοῖς καὶ καταφράκτοις καὶ παντοδαποῖς πορθμείοις*, Tarento in Epirum arcessitis Plut. Pyrrh. 15., ut hac quoque parte navium Tarentinarum ingens multitudo appareat. Item in Punico bello primo Romanis Tarentini naves commodato praebuerunt Polyb. I., 20, 14. *πεντηκοντόρους* (cf. Euripid. Helen. 1532.) *καὶ τριήρεις*, quibus frequenter usi sunt (Liv. XXVI., 39. XXXV., 16.) ad transvehendos milites.

Rei navalis studium apud Tarentinos ut apud maritimas gentes reliquas, e piscatu ortum, incrementa cepit mercatura, maxime deinde auctum plebis imperio, pro eo quod inter rem navalem et democratiam est vinculum.[12]) Rem piraticam a Tarentinis factam esse ad exemplum Etruscorum non exstat, quod credere nos jubeat, vestigium. Laudatur nautarum et gubernatorum Tarentinorum virtus ac peritia, qui Pyrrhum regem ex tempestate aegre servarunt. Milites navales quin semper ex ipsis Tarentinis delecti sint, dubitari nequit, quum remiges frequenti gentium usu e servis sumerentur. cf. Boeckh. oecon. Athen. tom. I. p. 281. sq. Insignem Tarentinorum in re navali virtutem optime eorum cum Romanis certamina[13]) probant, statim enim eae demersae sunt naves, quibus Cornelius praefuit. App. Samnit. VII., 1. Flor. I., 18. Sed omnium maxime memorabile apud Sacriportum navale praelium est, Niconis Tarentinae navis ducis nomine illustratum; vicit is egregie armatam Romanorum classem, cui praeerat D. Quinctius multis fortibus factis gloria militari illustris, hunc ipsum hasta transfixit praetoriamque navem cepit. Pulchra istius praelii descriptio apud Livium XXVI., 39. exstat, qua id etiam colligi posse videtur, Tarentinos non minus quam Romanos ferreis manibus usos esse. — Romano sub imperio, quum copiis et navibus non se ipsos Tarentini ab hostibus suis defendebant, sed servitute coacti victoribus auxilia mittebant, fieri non potuit, quin deminuta civium frequentia sensim interiret rei militaris studium; quorum enim salus ab aliis pendet, rem suam ii non curant.

[12]) Ideo Sparta navigatione multo minus floruit, quam terrestrium bellorum gloria. Müller. Dor. II. p. 249. [13]) In victoriarum memoriam mari a Tarentinis reportatarum, quarum notitiam fortuna nobis invidit, cusi sunt nummi acrostolium exhibentes Mionnet. I. p. 143. Suppl. I. p. 289. et in aversa parte equum coronatum a femina vel ab equite, aut equitem, qui ipse se coronat. Rasche. lexic. V., 1. p. 519. 520. Prora navis conspicitur Suppl. p. 282. Rasche p. 526. Ad maritima praelia spectare videtur Taras cum tridente et clypeo Mionnet. p. 144., aut cum tridente et sagitta. Suppl. p. 286. Contra Victoria biga vecta Mionnet. Suppl. p. 280., vel tropaeum erigens. ibid. 293., item Taras cum Victoria, clypeo et jaculo Mionnet. I., 141. 144., vel cum corona, clypeo et sagittis ibid. 146. aut terrestres victorias aut victorias in universum denotant. Postremo animadverte Tarantem cum serpente et jaculis bellorum dolum, ac cum sagitta et ramo pacem factam haud obscure indicantem. Mionnet. Suppl. p. 286.






Widener Library
005875498
3 2044 080 875 685